Isocratis Opera omnia

Isocrates

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ISOCRATIS OPERA OMNIA

RECENSUIT
SCHOLIIS TESTIMONIIS APPARATU CRITICO
INSTRUXIT

ENGELBERTUS DRERUP

VOLUMEN PRIUS

LIPSIAE
SUMPTIBUS DIETERICHII
(THEODORI WEICHER)
MDCCCCVI.

TYPIS IULII ABEL GRYPHISWALDENSIS

HENRICO FRANCOTTE

LEODIENSI

ALPHONSO ROERSCH

GANDAVENSI

AMICIS.

TYPIS IULII ABEL GRYPHISWALDENSIS

HENRICO FRANCOTTE

LEODIENSI

ALPHONSO ROERSCH

GANDAVENSI

AMICIS.

I.



cod. Urbinas 111 (Γ) saec. IX./X.: f. 51a = ad Demon. § 20/21.

II.

cod. Vatic. 65 (Λ) anni 1063: f. 133a — Philipp. § 70/73.

PRAEFATIO.

Isocratis operibus ad rationem criticam tractandis ante hos XIV annos incumbere coepi. Nam cum forte in orationis de pace papyrum Britannicum modo pervulgatum incidissem, Iustus Hermannus Lipsius, praeceptor meus summis laudibus celebrandus, me hortatus est, ut Isocratis memoriae plane aperiendae me darem, quam post Bekkeri curas Henricus Buermannus illustrandam iam susceperat. Sed Buermannus inceptum destituerat, postquam et codicum vulgatae memoriae sat amplum numerum recensuit et optimi codicis Urbinatis correctiones diligentissime perscrutatus est in libello „Die handschriftliche Überlieferung des Isokrates“ (Progr. Berol. I 1885, II 1886). Cuius studia scriniis recondita, inter quae codicis Urbinatis totius accurata erat collatio, ab ipso comiter mihi tradita sunt, ut novae editioni criticae parandae inservirent, paulo postquam dissertationem „De codicum Isocrateorum auctoritate“ (Leipziger Studien XVII 1894 p. 1/163 = codd. auctor.) publici iuris feceram. Praeter Buermannum autem fructum perutilem mihi praebuisse confiteor Brunonem Keilium „Analectis Isocrateis“, quibus iam anno 1885 verba Isocratis a scriptoribus antiquis allata vel imitatione expressa attentissime collegit atque etiam in arte critica factitanda multa feliciter administravit.

Quorum virorum opera fundamentum iactum erat, in quo editionem novam exaedificare potui. Restabat vero haud exigua pars laboris, cum primum quidem testimonia veterum ab integro perquirenda esse cognoscerem, ut Keilii errores leviores gravioresve — excusandos quidem rerum iniquitate, qua vir ille doctissimus tunc oppressus erat — corrigerem, locos praetermissos adderem, lectiones variantes in ordinem redigerem. Quod ut perficerem novis subsidiis suppeditatis adiuverunt me viri docti, quorum animos erga me liberalissimos praedico, Keilius ipse, qui ex eruditione multiplici nova quaedam de Isocrate testimonia, Otto Hense, qui Stobaei varietatem nondum notam, Henricus Schenkl, qui novas Georgidis lectiones, Antonius Elter, qui corporis quod dicitur Parisini locos ad Isocratem pertinentes mecum communicaverunt. — Tum codicum manuscriptorum memoriam omnem examinandam mihi proposui, ne editione

mea absoluta novi quidam libri ex bibliothecarum tenebris protracti novum verborum Isocrateorum fontem ederent. Vere igitur anni 1893 dissertationem de codicum Isocrateorum auctoritate praeparans iam bibliothecas Italicas adieram, quas iterum hieme anni 1895/6, tertio vere anni 1899 frequentavi, ut codices potissimum vulgatos (Θ Λ Φ) a Buermanno partim neglectos excuterem integros. Denuo hieme anni 1901/2 ab academia Bavarica peregre missus in bibliothecis Angliae, Galliae, Italiae, Austriae omnes quos continent libros Isocrateos evolvi, ne quis me fugeret memoria dignus. Alios codices manibus tenui Monachium transmissos in bibliothecis vel regia vel universitatis, quarum praefecti de studiis meis egregie meruerunt; aliorum autem notitiam a viris amicis vel a bibliothecarum externarum magistratibus accepi, quibus omnibus debitas hic reddo gratias. Prae ceteris vero musei Berolinensis, cui tunc praeerat celeberrimus vir Riccardus Schoene, laudanda mihi est eximia liberalitas, quae novum orationis Demoniceae papyrum inter ceteros gravissimum et alterius cuiusdam frustulum mihi cessit publicanda. Neque silentio praetereunda Kenyonis Angli comitas, qua nova papyri Britannici orationis de pace fragmenta a viro docto Bell inventa atque novae eiusdem lectiones idoneae mihi innotuerunt, postquam ipse Londinii (1901) papyrum illum magno cum fructu retractavi. Interim studia mea ad codices Isocrateos spectantia commentariis prosecutus sum nonnullis, quorum mentionem hoc loco praemittendam esse duco: „Qui orationum Isocratearum in archetypo codicum ordo fuerit“ in Museo Rhenano LI 1896 p. 21/6, „Zur Textgeschichte des Isokrates“ in Philologo LV 1896 p. 654/88, „Die Vulgatüberlieferung der Isokratesbriefe“ in Blätter f. d. bayer. Gymnasial-Schulwesen XXXVII 1901 p. 348/61, „Vorläufiger Bericht über eine Studienreise zur Erforschung der Demosthenesüberlieferung“ in Sitzungsberichte d. bayer. Akad. d. Wissensch. 1902 p. 313/7.

Denique editionum priorum lectiones omnes et virorum doctorum in Isocratem explicationes emendationesque colligendae et examinandae erant. — In orationibus vero recensendis haud exiguo emolumento mihi erat plenus index graecitatis Isocrateae, quem — ab Orellio (Antidos. 1814 praef. p. XXIV) iam postulatum — Baiterus olim, egregius Isocratis editor, assiduo labore composuerat. Quem indicem lectionis varietate hic illic ornatum iam anno 1830 confectum fuisse existimo, cum editores Turicenses anno 1839 de eo praedicaverint haec: „Baiterus enim et H. Bremio multa suppeditavit, cum Isocratis orationes selectas ederet (vol. 1 Gothae 1831)

. . . et, quod etiam utilius nobis fuit, indicem vocum Isocratearum plenissimum diu est ex quo condidit et conditum in scriniis conservat." Perscriptus autem in schedis, quae duodecim volumina ampla complebant, — quorum quattuor etiamnunc manibus teneo et inspecturis offero —, hoc inconvenientiae habebat, quod verba secundum editionis Coraisianae capita, nomina et particulas (substantiva, adiectiva, praepositiones, coniunctiones) secundum sectiones Bekkerianas digesta praebebat. Nihilominus hic index, quem ab Arnoldo Hug relictum Adolfus Kaegi mihi tradiderat, per complures annos utilissimus mihi fuit, dum Sigismundo Preuss, lexicographo strenuo, eum concessi perpoliendum et edendum. Neque Preussius muneri suo defuit, cum vix anno interiecto indicem typis iam exscribendum mihi reddiderit. Index ergo Baiterianus a Preussio ad editionem tantum praeparatus est, quod nominatim hic dictum volo, cum Preussius indicem hunc prelo permittens (Lipsiae 1904 apud Teubnerum) Baiteri honores omni laude digni detrectaverit toto paene opere nomini suo ascripto. Quod vero se quibusdam de causis redemptore libelli orbatum esse dicit, suae tribuat impatientiae, quae Blassii textum non nihil corruptum duobus vix annis ante editionem meam descripsit, quam ut index ille exciperet mihi cum Preussio convenerat. Contra Teubnerum autem, cui me hanc editionem primo promisisse ingenue fateor, hoc sufficiat dixisse, me veritum, ne bibliopola ab aliis contra me irritatus incommoda mihi afferret, Theodorum Weicherum huius editionis redemptorem libentissime accepisse, quem voluntati meae prompto semper animo obsecutum esse palam attestor.

Nunc vero de editionis huius indole pauca praedicturus in animo mihi esse pronuntiem, ut in praefatione primum omnes et papyros et codices manuscriptos Isocratis breviter describam eo ordine, quo in bibliothecis asservantur. Quo capitis secundi disputatio de ratione, quae inter hos libros intercedat, sub uno conspectu posita clarior reddetur, praeterquam quod e capitis primi tabulis facillime cognoscetur, utrum codicis cuiusque adhuc ratio iam habita sit necne. In capite tertio de codicis Urbinatis inter ceteros praestantia agam, de papyris quoque et testimoniis veterum et de memoriae omnis archetypo. Sed ne quis nesciat, quid de temporibus orationis uniuscuiusque iudicem, qua ratione novus orationum et epistolarum ordo commendetur, quidque de operum sub Isocratis nomine traditorum fide mihi constet, de his omnibus rebus in capite quarto verba faciam, iis quae huc pertinent virorum doctorum

commentationibus diligenter enumeratis. In capite quinto demum de editionibus prioribus quamque ipse secuturus sim editionis rationem breviter exponam, quibus absolutis in capite sexto vitam oratoris, orationum argumenta et scholia edam, quot quidem in codicibus Isocrateis exstant, verbis nonnullis et de commentariorum illorum indole et de codicibus praemissis.

Caput I.

Papyrorum et codicum Isocrateorum accurata descriptio.

Papyri Aegyptii,

qui singulas orationes vel orationum particulas continent, ex temporum quibus innotuerunt ordine descripti (cf. cap. III):

1) Papyrus Massiliensis orationis ad Nicoclem partem maiorem ab initio usque ad § 30 μετα δεους γιγνομενας continens inventus est inter crura corporis arte medicati. Parisios delatus anno 1860, cum in folia nondum dissectus esset (secundum Adrianum de Longpérier), inde ab anno 1861 Massiliae in museo quod dicitur Borély (no. 138/144) asservatur: de quo videas Omont, Catalogue des manuscrits grecs des départements, Paris 1886 p. 43 (no. 56) et Haeberlin, Griechische Papyri 1897 no. 79 p. 92/3. Exaratus autem litteris grandibus (1 cm. fere altis) a discipulo quodam, qui stilum exerceret, saeculo videtur IV. vel V. p. Chr. n. attribuendus esse, quod evicit Kenyon, The classical Review IX 1895 p. 495/6, cum olim saeculo I. p. Chr. n. ascriptus esset et a Croenerto (Memoria Graeca Herculanensis p. 59) adhuc saeculo II. p. Chr. n. tribuatur (cf. etiam Keil, Hermae XXIII p. 347). Atque octo nunc folia 25 fere cm. alta exstant chartae densiori agglutinata, quae volumen olim magnum ($3\,^1/_2$ m. fere longum) faciebant. Quae XVII scripturae columnas 18 cm. altas (columnae singulae 18—23 versuum, versus 24—27 litterarum) exhibent, binas plerumque, ternas in folio secundo et octavo, cum inscriptio haec ισοκρατους | παρ(αι)ν(αι)σεων | BB columnae primae loco sola exstiterit (secundum Lumbroso apud Schoenium; eadem subscriptio in fine), folium ultimum vacuum sit. Resina vero, qua charta penitus imbuta erat, calore liquefacta et offuscata (quod visum est Schoenio), papyrus, qui etiamnunc plenus superest, tantam accepit cladem, ut scriptura in columnis 9, 10, 13, 14 tota fere absumpta,

in columnis 2, 3, 4, 5, 15, 17 ex parte quidem oblitterata sit. Quem post lectiones nonnullas a Giac. Lumbroso (Atti della R. Acad. delle scienze di Torino, vol. VII 1870 nov.) allatas primus diligenter exscripsit et tractavit — Urbinatis collatione ab Augusto Mau accepta — Alfredus Schoene (Mélanges Graux 1884 p. 481/504); secuti eum sunt Bruno Keil (Hermae XIX 1884 p. 596/643) et Frid. Blass (Jahrbücher f. klass. Philol. CXXIX 1884 p. 417/29, cf. Albrecht, Jahresberichte des philol. Vereins zu Berlin XI 1885 p. 49 sq.). Papyrum iterum inspexit atque multa in eo legendo emendavit Keilius (Hermae XXIII 1888 p. 346/52), quorum virorum opera innisus ipse lectiones eius novis tabulis collegi (codd. auctor. p. 118/21). Atque anno 1902 papyrum ipsum strictim attigi, quoniam post Schoenii et Keilii curas accurata retractatione non videbatur opus esse.

2) **Papyrus Raineri** (litterar. II.) saec. II. p. Chr. n.: fragmenta duo, quibus **Philippi** partes continentur § 114 ειχ]εν ει[ς] τους ελ|ληνας] δυναι' αν ad § 115 των] παρον|των κτησασθ]αι την | et § 116 πειρωμ[αι] προτρε|πειν επι τας ευεργε|σιας ad § 117 |κ]αι τας πολεις και νε|ω]ς και βωμους ἵδρυ. Supersunt scripturae columnae II, quarum prior in parte inferiore et in margine sinistro mutilata est (restant versus 11); altera 28 versuum (13—17 litter.) est integra 13,4 × 4,5 cm. complens. Cf. Wessely, Mittheilungen aus der Sammlung der Papyrus Erzherzog Rainer II/III 1887 p. 74/6, Haeberlin l. l. no. 80, codd. auctor. p. 122/3.

3) **Papyrus Raineri** no. 532 (inventar. 8028) saec. IV. p. Chr. n. ineuntis: fragmentum orationis ad **Nicoclem** § 2 | ιδιωτας πο|λ'λα εστιν τα παι[δ]ευ[οντα μαλι|στα μεν το] μη τρυφαν ad § 4 | πλειστοι] των ανθρωπων αυτοι[ς ου| πλησια]ζουσιν οι δε συνοντες α[υτοις]. Unius columnae versus superstites 18 litteris (27—35) uncialibus grandibus exarati, qui utroque latere mutilati sunt, complent 26 × 10 cm. Cf. Wessely l. l. IV 1888 p. 136/9, Haeberlin l. l. no. 78, codd. auctor. p. 122/3.

4) **Papyrus Londinensis** musei Britannici no. 132 saec. I. p. Ch. n., continens maiorem orationis περι (της) ειρηνης partem inde a § 13 βουλευησθε, ζητειτε συμβουλους usque ad finem. Papyrus in folia decem nunc divisus, quae sub vitro asservantur, olim IL scripturae columnas habebat, quarum priores IV deficiunt, ut XLV nunc columnae vel ex parte vel integrae supersint (ultima subscriptionem solam iterum exhibens). Perscriptus est totus ab uno librario, qui munere suo initio quidem diligenter functus postea laboris taedium

subiit. Quo factum est, ut litterae unciales voluminis principio accuratae et clarae ad finem properantes minus compositae, immo — quod Kenyoni visum est — ab alio scriba exaratae esse videantur, quod etiam in papyro Massiliensi accidit. Atque tabulis phototypicis apud Kenyonem IV. (col. II init. = § 14) et V. (col. XLIV = § 145) cursim inter se comparatis de duobus librariis facile cogitare possis. Ac tamen scripturae ductus quamvis neglegens etiam sub finem orationis idem est atque initio, cum scriba commodo suo consulens inde a § 60 signa quaedam quae vocantur cursiva (ε, η, ν, π, υ) litteraturae immiscuerit. Socordia librarii festinantis etiam factum est, ut scripturae columnae initio ex aequo angustae (6 cm. latae 18 fere litterarum) inde a col. XXIX usque ad XXXIX paulatim dimidio fere in latitudinem accrescerent (ad 9 cm. 24—28 litterarum), versus finem rursus diminuerentur (ad 7 cm.). Simul altitudo columnarum, quae initio erat 20 cm. versuum 38 (col. II) vel 40 (col. VIII, XIII?) vel 41 (col. XV), ad 23 cm. versuum 43—46 inde a col. XVII aucta est. Haud mirum, quoniam librarii neglegentis scriptura erroribus scatet, quos ipse ex parte iam correxit paucis etiam lectionibus variis in margine adiectis (corr. 1). Alia alter atque etiam tertius ut videtur corrector emendavit, qui recentiores (corr. rec.) librarium imitati permultas etiam lectiones varias et in margine et supra versum ascripserunt. Quos discernere nonnunquam perdifficile est, praesertim cum papyrus in parte priore usque ad § 62, qua fragmentis maioribus minoribusve constat, valde mancus, in parte posteriore, qua charta est integra, hic illic adeo detritus sit, ut ne attente quidem inspicientibus quidquam conspiciatur. Atque in parte priore admodum mutilatae sunt columnae III = § 16/17, VI = 23/24, VIII = § 27/28, X = § 33/34, XIV = § 44/46, XVII = § 52/54, in parte posteriore damnum grave acceperunt columnae XXV = § 80/81, XXX = § 93/94, XXXIII = § 103/4, XXXV = § 108/12, XXXVI = § 113, XLIII = § 140/42. Papyrum, qui emptus erat anno 1889, primus neque tamen ita diligenter tractavit F. G. Kenyon, Classical texts 1891 p. 63/79, cuius ope liberali adiutus ipse de papyro accuratius egi codd. auctor. p. 94/117 (cf. Haeberlin l. l. no. 81). Tum ipse totum denuo excussi anno 1901, atque iterum auctore Kenyone v. d. Bell collatione mea usus totum recognovit, cuius alacritate nova quoque papyri frustula haud pauca a Kenyone reperta suis locis disposita sunt: quae inventa Kenyone comiter intercedente mecum communicata sunt.

5) Papyrus Oxyrhynchitanus no. 27 saec. I./II. p. Chr. n.

(5,2 × 12,7 cm.). Fragmentum hoc columnarum duarum — seni versus superstites sunt —, quarum altera etiam latere dextro mutilata est, scriptura unciali continet orationis de Antidosi § 77 και των αλλων κινδυνων ad βαρβαρων στρατειαν πα et § 81 περι πλειονος π[οιεισθαι ad [δεομε]νο]ι τυγχαν[ουσιν. Papyrus, quem ediderunt Grenfell et Hunt, The Oxyrhynchus Papyri I 1898 p. 56, nunc in America (in urbe quae vocatur Chicago) conservatur, quod ex Grenfellio audivi.

6) Papyrus Argentoratensis no. 92 saec. III. p. Chr. n. ineuntis, continens orationis ad Demonicum § 45 τυγ]χα|νω των] μεν | γαρ αλλω]ν| ad χα]ι|ροντας ο]υ|τως και τ]ων | et χρωμενος | τη περι την | ad τους αλλους | τους επι την. Duarum columnarum angustarum litteris uncialibus grandibus scriptarum utraque olim 23 versus 7—10 litterarum habebat, sed pars inferior ita mutilata est, ut uniuscuiusque nunc 13 versus restent; atque columna prior tota fere praeter paucas marginis dextri litteras periit. Cf. R. Reitzenstein, Hermae XXXV 1900 p. 607/8.

7) Papyrus Amherstianus no. 25 saec. I. exeunte vel II. ineunte p. Chr. n. litteris quae vocantur semiuncialibus scriptus est (20 × 15,5 cm.). Unius columnae fragmentum 28 versuum (25—32 litterarum) partem orationis ad Demonicum § 48 μ]ηδεν δε | των τυχοντω]ν διαφ[ερον]τας εικοτως | ad § 51 αλ[λων | σοφιστων ει τι χρησιμ[ον] ειρηκασιν exhibet. Columnae sequentis, quae finem orationis (et subscriptionem) complexa erat, duae litterae solae remanent. Cf. Grenfell et Hunt, The Amherst Papyri II 1901 p. 25/6 cum tabula III. Papyri lectiones ex silentio apparatus critici petas.

8) Papyrus Oxyrhynchitanus no. 704 saec. III. p. Chr. n. litteris uncialibus exaratus (7,9 × 10,3 cm.) duas scripturae columnas mancas 15 et 12 versuum (12—15 litterarum) habet, quarum altera in margine dextro quoque mutilata est. Servantur in eo orationis contra sophistas particulae § 16 [προ (?) ελεσθ]αι και [μιξασθαι προς αλ]|ληλας| και ταξα|σθ]αι ad § 17 επιμε|λεια]ς [δειο]θαι και et § 17 των δ[ιδακτων | παραλ[ι(?)πειν περ | ad § 18 και χ[αριεστερον| τω[ν αλλων φαινε . Cf. Grenfell et Hunt, The Oxyrhynchus Papyri IV 1904 p. 161/2.

9) Papyrus Berolinensis no. 8935 A, B, C saec. II. p. Chr. n. ineuntis decem columnis 29—31 versuum in tres partes nunc divisis orationis προς Δημονικον παραινεσις maximam partem (§ 18 ομοιως γαρ usque ad finem orationis) continet. Exstat in papyro averso, cuius pars adversa inventarium quoddam exhibet (cf. Aegyp-

tische Urkunden aus den kgl. Museen zu Berlin. Griechische Urkunden III 1903 no. 781), ut Isocratis verba a viro quodam privato exarata esse facile coniciamus. Bis versus dimidius fere a scriptura vacuus est (col. VI § 36: om. επιτηδευματα et col. VIII § 45: om. τουτων εγνωκεναι), unde librarii exemplar lacunosum vel male habitum fuisse, ut scriptura legi non potuerit, apparet. Papyri verba a Krebsio diligenter exscripta accurate recognovit me rogante Schubartius, ut de lectione dubitatio vix sit relicta. Atque memoria optime conservata — scriptura paucis tantum locis detrita est, praesertim in col. II inf. § 23 et IX et X infer. — ubique fere certa est, ut lectiones velut codicis cuiusdam ex apparatus critici silentio colligere possis. Contra papyri reliqui praeter Amherstianum adeo sunt lacunosi et pessumdati, ut in apparatu critico, cum exscribi non potuerint integri, accurate indicandum fuerit non solum, quibus locis papyri cuiusque memoria certa a textu recepto aperte differat, sed etiam quibus contra codices hos cum illis consentiat.

10) Papyrus Berolinensis alter no. 7426 (16,5 × 8 cm. versuum 21) saeculo II. p. Chr. n. vel paulo post in papyro averso exaratus est, cum in parte adversa reliquiae rationum exstent, quae litteris quae vocantur cursivis saeculo II. p. Chr. n. scriptae sunt. Continet scriptura continua in initio mutilata orationis ad Demonicum particulas § 39 μηδενα ζηλου ad (υπερ)εχουσι, § 41 (νομιζε μηδεν) ad περιλυπος, § 50 ζευς ηρακλεα και ad 51 της καλοκαγαθιας, quibus continuantur Hermagorae quaedam. Quae florilegii cuiusdam ut videtur excerpta a viro quodam privato conscripta libenter mihi cessit A. Brinkmann Bonnensis, cui tradita erant publicanda. Sed serius in manus meas venerunt, quam ut in apparatu critico exscribi potuerint. Quam ob rem lectiones eorum varias in papyris recensendis (c. III.) diligenter enotavi.

Superest etiam papyri cuiusdam frustulum orationis de pace § 20 continens inventum in sepulcro Sarapus cuiusdam, quod situm est in regione pagi q. d. Deyrout: cf. H. Weil, Revue des études grecques III 1890 p. 309 n. 1. Sed Weilius petentem me non audivit.

Codices:

Asterisco (*) significati sunt libri illi non multi, quorum notitiam idoneam nullo modo me potuisse nancisci aegre fero.

in Italia

Romae (in bibliotheca Vaticana praeter no. 31—33):

1) cod. Urbinas 111 (= Γ), membran. in 4⁰ ($24\frac{1}{2} \times 18\frac{1}{2}$ — 19 cm.) foll. 420 (immo 405), saec. IX./X. Codex 51 quaternionibus 405 foliorum absolutus est, cum quaterniones 44 = f. 350/6, 45 = f. 357/63, 47 = f. 382/8 septem tantum folia complectantur. Antiquiores vero foliorum numeri transiliunt a 4 ad 9, a 120 ad 122, a 370 ad 381, ut 405 + 15 = 420 folia numeris efficiantur. Numeros initio codicis correxit manus recentissima, binis foliis chartaceis et membranaceis, quae cum codex ligaretur praefixa sunt, numeris 1 ad 4 notatis. Atque etiam nuperrime quaterniones 23 = f. 182/9 et 24 = f. 190/7, quorum ordo in libro conglutinando olim turbatus erat, transpositi sunt auctore Stornajolo, bibliothecae Vaticanae scriptore.

Codicis aetas viris doctis dubia fuit (cf. Keil, Wochenschrift f. klass. Philol. III 1886 col. 1351/2), cum eodem tempore a duobus librariis scriptus litterarum ductum praebeat paulo differentem. Etenim scriptura librarii prioris aequa, quae foll. 1—325 (versuum constanter 24) occupat, litteris minusculis expressa est puris (raro Λ, perraro C in fine versuum) abbreviationibus fere neglectis (raro καί; littera ν hic illic lineola supra versum posita significatur). Contra librarius posterior in foliis 326—420 (versuum 24 initio: semel 20 in f. 331; vel versuum 23 inde a f. 364, vel v. 22 inde a f. 382, vel v. 26 inde a f. 389) aliquanto est neglegentior, cum et Λ quadratum in deliciis habeat et in fine versuum signo C, raro etiam signo Δ atque abbreviationibus paulo frequentioribus utatur (-σθαι, -μαι etc. in verborum terminationibus; etiam ἄνθρωπος). Nihilominus ex constanti litterarum forma, quam in tabula phototypica voluminі huic praefixa conspicias (fol. 51 a = ad Demon. § 20/21: minus clare iam expressa in Philologo 1896 p. 665), codicem ultimis saeculi IX. vel primis saeculi X. annis ascribere non dubito.

Insunt in codice Isocratis orationes XIX et epistolae IX: ἑλένης ἐγκώμιον 1a, βούσειρις 18a, κατὰ τῶν σοφιστῶν 27b, εὐαγόρας 32a, πρὸς δημόνικον 47b, πρὸς νικοκλέα 57b (πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας ὑποθῆκαι subscr. 67b), νικοκλῆς ἢ κύπριοι 67b, ἀρχίδαμος 80b, ἀρεοπαγιτικός 102b, πλαταικός 120a, περὶ εἰρήνης 133b (περὶ τῆς εἰρήνης subscr. 163a), φίλιππος 163a, παναθηναικός 193b, πανηγυρικός 249a, αἰγινητικός 287a, περὶ ἀντιδόσεως 298a, περὶ τοῦ ζεύγους (secundum subscript.) 361b, τραπεζιτικός 382a, κατὰ λοχίτου αἰκ(ε)ίας ἐπίλογος 395a (a corr. 2, cf. subscript.), ἐπιστολαί· διονυσίῳ· ἀρχιδάμῳ· τοῖς ἰάσονος παισίν· | τιμοθέῳ· φιλίππῳ· φιλίππῳ· ἀλεξάν-

δρῳ· | ἄσημος· τοῖς μιτυληναίων (corr. 2) ἄρχουσιν· | ἰσοκράτης διονυσίῳ χαίρειν 398b, ἀρχιδάμῳ 400b, τοῖς ἰάσονος παισίν 404b, τιμοθέῳ 407b, φιλίππῳ· ἐγὼ διελέχθην 410a, φιλίππῳ· οἶδα μέν 411b, ἀλεξάνδρῳ 415, ἀσήμως περὶ διοδότου et in mg. litteris uncialibus a corr. 2 πρὸς ἀντίπατρον 416b, τοῖς μυτιληναίων ἄρχουσιν 419a.

Epistola ultima in fine manca est, cum folium codicis postremum continens verba § 8 σίας πολλὴν ἂν αὐτοὺς usque ad finem nunc perierit. Madore tamen vestigia huius folii (prioris quidem paginae usque ad § 10 δηλώσατε καὶ τοῖς ἀδελφοῖς fere) in antecedente pagina expressa sunt, ut scriptura cum lectionibus variis etiamnunc ex parte quidem legatur. Madore etiam, quo liber initio potissimum et in fine detrimentum cepit, primum codicis folium adeo foedatum est, ut litterarum formae nonnisi ex membrana atramento paululum exesa dignoscantur. Desunt in scriptura continua (f. 361b) et orationis de Antidosi finis inde a § 320 καταλύσω τὸν λόγον (in mg. add. corr. 5) et orationis de bigis exordium usque ad § 3 προσήκειν τὰς κοινὰς αἰτίας, ut in exemplo descripto folium hic excidisse appareat: cuius archetypi versus singulos 30 fere litterarum fuisse, similiter atque in Γ, ex Panath. § 88 et Antid. § 319 et de pace § 53/4 elucet, cf. Buermann II p. 4/5. Dubium tamen est, an initio codicis nonnulla deficiant: nimirum orationis primae inscriptio litteris maximis exarata est, sed omisso Isocratis nomine, quod in toto libro non nisi in inscriptione epistolae primae deprehenditur. Vestigia vero coloris rubri, quae in paginae primae margine superiore et inferiore supersunt, non cum Buermanno II p. 3 ad folium quoddam pictum libri exordium designans referenda esse, sed involucri antiqui corium rubidum, cui folium nunc primum aliquando agglutinatum fuerit, in hoc se expressisse Keilius iam vidit (l. l. col. 1352). Qua ex re cum Martino vitam oratoris vel argumentum quoddam de orationibus eius hic amissum esse conicias.

Correctores discernendi sunt 5 (vel 6), de quibus post Martinum accuratissime exposuit Buermannus II p. 5/20 (cf. etiam Keil l. l. col. 1349/51, codd. auctor. p. 4/5, Philolog. 1896 p. 656/8). Atque sigla mihi erunt haec:

Γ pr. = manus prima in textu codicis.

$Γ_1$ vel corr. 1 = correctiones manus primae, quae ab utroque librario partim iam inter scribendum factae sunt, saepissime in Areopagitico (= int. scrib. corr.). Singulatim autem notandae sunt eiusdem librarii correctiones.

Γ mg. unc. pr. = quae sunt lectiones variae ex memoria vul-

gatae consimili iam inter scribendum litteris uncialibus foliorum marginibus adiectae (usque ad f. 80). Contra errores suos et omissiones librarii litteris minusculis correxerunt vel in versu vel in margine. Unde lectiones unciales ex archetypo petitas esse, qui cum codice quodam vulgato in orationibus septem prioribus contaminatus fuerit, manifestum est.

Γ_2 = emendationes litteris minusculis puris factae a duobus saeculi X. librariis, qui accentus quoque et spiritus a manu prima saepius neglectos maiore cum cura addiderunt. Atque Buermannus tres eiusdem aetatis correctores (1a, 1b, 2) ita inter se distinxit, ut correctores 2 (atramento nigro usum) et 1b (atramento fusco vel subrutilo usum) non nisi errores primae manus, omnibus fere locis recte, emendavisse statuerit. Correctorem vero 1a (atramento viridi usum: fusco tamen secundum Keilium l. l.) in orationibus quattuor prioribus lectiones variantes ex vulgata plerumque memoria depromptas ascripsisse et unumquemque in emendando exemplar non solum arta necessitudine cum Γ coniunctum, sed etiam in orationibus prioribus cum vulgata memoria contaminatum adhibuisse censuit. Codice tamen diligenter retractato ipse correctiones 1a et 1b ab eodem librario (= 1b) profectas esse, cuius atramentum saepe variat, correctiones 2 vero, quae vel nigrae sunt vel rubidae (e. g. in Busiride) vel subvirides (e. g. in Euagora), cum correctionibus 1b non ex alio quodam libro, sed ex ipsius Urbinatis archetypo depictas esse mihi persuasi. Etenim exemplum illud contaminatum erat; variantes vero lectiones et a manu prima uncialibus litteris et a Buermanni corr. 1a in Urbinatis margine notatae cum eodem pertineant (usque ad initium Archidami cf. corr. 1b in Nicocl. § 59, Archid. § 11), tum dimidia fere parte cum vulgatis consentiente eiusdem omnino generis sunt. Porro etiam corrector 2 haud raro lectiones vulgatas pessimas in textum induxit (cf. IV 30, V 23, 56, VI 6, 12, VII 18, VIII 18, 19 cum γρ., 27, 41, 48, 52, 61, 67, XI 7, 22/3, 33, 39, 42, 50 etc.), quarum originem eidem fonti facile tribuas. Denique manus has emendatrices omnes simul opere functas esse Buermanno auctore pro certo affirmare licet, quarum correctiones ut in apparatu critico seiungamus nihil interest, nisi aliquo modo inter se differunt. Contra Buermannum autem, qui de correctoris 2 mutationibus ubique fere probandis praepropere iudicavit (cf. II p. 11/13 et 20), correctorem illum non solum lectiones vulgatas haud raro perperam recepisse, sed etiam libidinose saepius manus primae scripturam commutavisse atque corrupisse (cf.

III 22, IV 26, 30, V 3, 35, 45, VI 40, VIII 11, IX 1, 3, 49 etc.) tenendum est, ut in correctionibus eius et additamentis recensendis cautione opus sit. A correctore 1b etiam scholia nonnulla brevia in margine adiecta sunt, cf. Philolog. 1896 p. 657.

Γ_3 = manus saeculi XI., quae calamo crasso et atramento subrubicundo canescente nonnulla leviter correxit (e. g. Panath. § 25, 141, 183, 257, 267), plurimis tamen locis vel supra versum vel in margine lineolam appinxit, ut lectionis a memoria vulgata (plerumque codicis Λ) varietatem significaret. Ideo correctorem, quem in orationibus ad Demonicum, ad Nicoclem, Nicocle, de pace, Antidosi, de bigis, epistolis frustra quaeras, Martinus nota „tr.", Buermannus siglo „mr." („not. mr.") designaverat.

Γ_4 = manus saeculi XII. (cf. Keil l. l.), cuius correctiones (atramento ravo vel viridi factae) maxima ex parte ad librum vulgatae memoriae (familiae Θ ut videtur) redeunt, nonnunquam ex libidine natae sunt (e. g. Panath. § 50, 148, 215). Exemplum autem cum Urbinate collatum in Archidamo mancum erat, quod his cognoscitur, quae ad Archid. § 6 ζητεῖν in margine ascripta sunt: ἐκ τούτου τὸ λεῖπον et ad § 21 post πράξεις: μέχρι τούτου τὸ λεῖπον τὸ ἐν τῷ (τῇ?) βιβλί(ῳ). Correctiones desunt in orationibus ultimis Trapezitica et contra Lochitem et in epistolis.

Γ_5 = correctiones manu saeculi XIII. per totum codicem (exceptis oratione Trapezitica et epistolis) atramento nonnunquam variante dispersae, quae ex libro cum Θ coniuncto diligenter adhibito ductae sunt. In orationibus prioribus littera ν q. d. paragogica a correctore saepissime expuncta vel erasa est, cuius laboris postea eum taeduit.

De stichometriae in hoc libro vestigiis deque Heliconii et sociorum opera videas ea, quae in capite III. exposui.

Codicem Urbinatem inter omnes primus adhibuit Bekkerus, qui tamen libri sat neglegenter iam excussi lectiones etiam cum incuria in apparatu editionis descripsit, ut varietatis gravissimae supplementum ex schedis suis in Actis academiae Berolinensis 1861 p. 1034/7 componere cogeretur. Anno 1859 codicem denuo contulit T. Halbertsma, cuius notae in oratione Nicoclea edenda (1890) praesto fuerunt Versmeetenio (cf. p. 30/1 et Halbertsma, Adversaria critica ed. van Herwerden 1896 p. XXXVI). Postea codicis partem, quae epistolas exhibet, inspexit R. Hercher (Epistolographi Graeci 1873 p. XLIV et 319/36), orationem de bigis Fr. Leo (in usum Fuhrii, Mus. Rhen. 1877 p. 566), orationem ad Nicoclem iterum A. Mau (in usum

Schoenei, cf. ad papyrum Massil.). Iam vero accuratam codicis descriptionem cum collatione Panegyrici composuit Albertus Martin (Le Manuscrit d'Isocrate Urbinas CXI de la Vaticane, Bibliothèque des écoles françaises d'Athènes et de Rome, fascic. XXIII. Paris 1881), qui lectionis varietatem in Euagora, Helena et in Philippo (ex parte) postea publicavit (Nouvelles études sur le manuscrit d'Isocrate du fonds d'Urbin, Revue de philol. XIX 1895 p. 123/8 et 188/96). Atque post hunc virum doctum Henricus Buermannus studium suum in codicem convertit, de quo summa cum diligentia ab integro excusso exposuit in libello „Die handschriftliche Überlieferung des Isokrates. II. Der Urbinas und seine Verwandtschaft" (Progr. Berol. 1886), postquam iam anno ante in parte priore (I. Die Handschriften der Vulgata, 1885 p. 16 sq.) Philippi cum Urbinate collationem publici iuris fecerat. Ad Buermanni autem studia Rudolphi Bock dissertatio „De codicis Isocratei Urbinatis (Γ) auctoritate" (Heidelbergae 1883) haud magni aestimanda est, quae vix novi quidquam de codice attulit. Ipse Buermanni collationem mihi concessam et cum virorum doctorum, quos nominavi, curis et cum codice iterum iterumque comparavi, ut me codicem penitus nunc cognitum habere iure liceat contendere. Cf. cap. III.

2) cod. Urbinas 112, membran. in fol. min. (27 × 17 ½ cm.) foll. 160, saec. XV. a Ioanne Scutariota scriptus. In codice hoc splendido insunt Isocratis orationes XIX: πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 1a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 6b, Paneg. 23a, Helen. 33b, Euag. 40b, ἐγκώμιον πρὸς Βούσιριν 49a, c. sophist. 54a, Plataic. 56b, Areopag. 63a, c. Lochit. 71b, in Euthyn. 74a, de bigis 75b, Aeginet. 81a, Trapezit. 86b, Philipp. (sine titulo) 93a, de pace 109a, Archid. 124b, Antidos. 136a, in Callim. 155a: deficit in § 67 τοῦ δικαίου ζητοῦντες. Cf. Martin l. l. 1881 p. 5/6 et infra p. XLIX.

3) cod. Vaticanus 64 (= Φ), membran. in fol. (31 ¾ × 20 ½ cm.) foll. 289, anno 1270 Thessalonicae a compluribus librariis confectus secundum subscriptionem f. 289b: ἐτελειώθη ἡ βίβλος αὕτη χειρὶ γραφεῖσα ἑκατόγχειρος ἐν ἔτει ςψοη' (6778 mundi = 1270 p. Chr. n.). Codex miscellaneus, quem iam Usenerus accuratius descripsit (Jahrbücher f. Philol. 1873 p. 146 et in editione Dionysii Halic. cum Radermachero curata vol. I 1899 p. XI/XII), initio habet Isocratis orationes II: ἑλένης ἐγκώμιον 1a, εὐαγόρας 4b (ad 8b), quas praeter alia — commemorabo Arriani ἐπικτήτου διατριβαί, Libanii, Synesii, Aeschinis et orationes et epistolas — sequuntur epistolae Socrati-

corum (XXI. et XXIII.) 207b, Isocratis novem 208b, Socratis 215a, alia. Epistolarum vero Isocratearum hic est ordo ἰσοκράτης ἀρχιδάμῳ χαίρειν 208b, ἰσοκράτης τοῖς ἰάσονος παισὶ χαίρειν 209b, ἰσοκράτης λυκόφρονι χαίρειν (quae est ad Dionysium) 210b, ἰσοκράτης φιλίππῳ χαίρειν· οἶδα μὲν 211a, ἰσοκράτης φιλίππῳ χαίρειν· ἐγὼ διελέχθην 212a, ἰσοκράτης ἀλεξάνδρῳ χαίρειν 212b, ἰσοκράτης ἀντιπάτρῳ χαίρειν 213a, ἰσοκράτης τιμοθέῳ χαίρειν 213b, ἰσοκράτης τοῖς μιληναίων (s. v. corr. 1) ἄρχουσι χαίρειν 214b. Disputavi de codice Blätter f. d. bayer. Gymnas.-Schulwesen XXXVII 1901 p. 352/7, Aeschinis q. f. epistolae 1904 p. 6 et 39 sq. Cf. cap. III.

4) cod. Vaticanus 65 (= Λ), membran. in 4⁰ min. ($21\,^1/_4 \times 17\,^1/_2$ cm.) foll. 304 nunc in II voll. ligatus, anni 1063 secundum subscriptionem f. 304b ἐτελειώθη ἡ βίβλος αὕτη παρὰ θεοδώρου | ὑπάτου καὶ βασιλικοῦ νοταρίου γραφεῖσα οἰ|κεία χειρὶ αὐτοῦ μηνὶ ἀπριλλίῳ κε΄ ἰνδικτιῶνος πρώτης | τοῦ ἁγίου μάρκου | ἔτει ςφοα΄ (6571 mundi = 1063 p. Chr. n.) | κύριε βοήθει τῷ τοῦτο γράψαντι ἀμήν, cui manus recentior (3) addidit ἔχει τὸ παρὸν βιβλίον φύλλα τδ΄. In codice leguntur Isocratis orationes XXI: ἰσοκράτους πρὸς δημόνικον παραίνεσις 1a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 5b, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 14b, πανηγυρικός 25b, ἑλένης ἐγκώμιον 59a, εὐαγόρας 70b, βούσιρις pr. (ἐγκώμιον εἰς τὸν βούσιριν in mg. 3; βουσίριδος ἐγκώμιον subscr. pr.) 85a, κατὰ τῶν σοφιστῶν 93b, πλαταικός 98a, ἀρεοπαγιτικός 107b, φίλιππος 121b, περὶ τῆς εἰρήνης 147a, ἀρχίδαμος 171a, παναθηναικός 189b, περὶ τῆς ἀντιδόσεως 233b, κατὰ τοῦ λοχίτου 262a, πρὸς εὐθύνουν: ἀμάρτυρος 265a, περὶ τοῦ ζεύγους 268a. αἰγινητικός 276a (αἰγινιτικός subscr.), τραπεζιτικός 284a, παραγραφὴ πρὸς καλλίμαχον 293b. Scripturae vero indoles ex tabula phototypica altera huic volumini praefixa cognoscetur, quae male expressa iam erat in Philologo 1896 p. 660.

Codex antequam in bibliothecam Vaticanam delatus est, casus varios subiit, cum igne correptus, qui etiam foliorum margines adedit, initio complura folia amiserit. Etenim quaternionum numeri, qui antiquitus — neque tamen a librario ipso neque a corr. 2 — ultimo cuique quaternionum folio in inferiore margine adiecti erant, supersunt hi: Δ 12b, ς 28b, Z 36b etc. usque ad μ 300b. Unde codicis initio, quattuor foliorum priorum loco, tres olim quaterniones plenos 24 foliorum exstitisse luculenter apparet. Quattuor autem folia illa 1—4, quae orationis Demoniceae partem priorem usque ad § 46 οἰκονομεῖν ἀεὶ τὰς τέρ (in membrana rescripta) complectuntur, saeculo XIII. scholiastae recentioris manu (= corr. 3) videntur conscripta

esse, ut iacturam illam codici saeculo XII. vel XIII. illatam esse eluceat. Quae vero initio libri in foliis amissis olim exarata fuerint, coniectura facili consequeris, si mecum haec reputaveris: cum pagina scripturae antiquae in Λ (22—23 versuum; manus recentior versus 21—28 habet) versibus fere 24 editionis Teubnerianae respondeat, pars orationis Demoniceae amissa codicis paginas circiter $14\,^2/_5$ complebat. Restant ergo $9\,^3/_5$ paginae, quae Isocratis vitae in codicibus ΠN servatae plane conveniunt. Praeterea orationum argumenta, quae Buermannus et ipsa codici tribuit (I p. 6), in eo fuisse nequeunt.

Etiam in hoc libro correctores plures diligenter distinguendi sunt, ut de auctoritate eorum recte iudicetur. Qui sunt (in parte antiqua)

$Λ_1$ = correctiones librarii ipsius, qui cum opus absolutum perlegeret, atramento subfusco paululum pallidiore, quam quo in textu exarando usus erat, ex suo exemplo nonnulla emendavit atque etiam scholiis inter scribendum iam in margine notatis alia pauca adiecit.

$Λ_2$ = manus paulo recentior saeculi XI./XII., quae atramento plerumque subviridi (vel fusco virescente) errores librarii frequentes correxit et lacunas nonnullas ab illo (secundum archetypi memoriam mancam) relictas explendas curavit. Quod cum partim ex memoria codicum (cf. Philipp. § 71, 72, 104, 107, etiam 16, 75, Archid. 93 etc.), partim ex libidine videatur factum esse (cf. Philipp. § 78, 105, 110, etiam 102, de pace 72, 128), exemplum a correctore adhibitum idem fuisse atque codicis Λ archetypum iure colligitur. Scholium parvulum ascriptum est ad orationem de pace § 8, alia fortasse ab eodem ad Nicoclem (ἢ συμμαχικός) 3 et Helen. 23.

$Λ_3$ = emendationes rarae a manu saeculi XIII. (pleraeque ut videtur in oratione de pace) atramento fusco vel pullo factae. Quae manus post codicem igne corruptum (cf. f. 172a) etiam scholia inania permulta litteris perobscuris et compendiosis in foliorum marginibus exaravit et orationis Demoniceae partem priorem supplevisse et quaternionibus novos ex mutato codicis statu numeros in primo quoque folio adiecisse videtur: α′ 1a (4 foll.), β′ 5a, γ′ 13a (9 foll.), δ′ 22a (6 foll.), ε′ 29a (9 foll.), ϛ′ 37a etc., ια′ 77a (6 foll.), ιβ′ 83a etc., κη′ 291a (9 foll.), λθ′ 300a.

$Λ_4$ = manus saeculi XIII./XIV. atramento usa cano, quae post correctorem 3 (cf. Paneg. § 96 et Scholia ad Nicoclem (ἢ συμμαχικός) 5, Philipp. 59, Panath. 2: cf. Philolog. 1896 p. 662) verba corrupte tra-

dita coniecturis nonnunquam sanavit (cf. I 13, 17, II 16, 24, 25, 34, 35, 37, 53, 64 etc.: alterius libri memoriam non deprehendas nisi ad Nicocl. § 2 = Γ unc. pr.), saepius vero locos et corruptos et sanos interpolationibus libidinose factis impudentissime depravavit. Atque lacunas potissimum, quas librarius necessario saepe multo maiores reliquerat, corrector omnibus locis de suo explendas esse duxit (cf. Philipp. § 71/2, 105, 110/1, Archid. 109, etiam Panath. 6, 77, 133, 178, 206). Quas lectiones viles in libris vulgatis recentioribus et in editionibus prioribus receptas ex parte iam Corais, plerasque Bekkerus rectissime expulit, cum a codicibus plane alienae magistelli cuiusdam Byzantini indoctam temeritatem sapiant. — Scholium huiusce librarii leviusculum ad exordium Aeginetici pertinet.

Emendationes recentiores, quae in priore orationis Demoniceae parte saeculo XIII. suppleta raro inveniuntur, cum neque ad librarium additamenti (= corr. 3) neque ad correctorem 4 referri queant, notam „Λ rec.“ habere volui.

Codicem a Napoleone I., Italiae aliarumque terrarum expugnatore, Parisios delatum Corais primus perscrutatus est, qui ex eo haud pauca in Isocrate correxit; tunc Romam reductum in Callimachea et Amartyro iterum inspexit Bekkerus. Postea vero plane neglectus iacuit, dum Buermannus ex parte denuo collatum (ad Demon., ad Nicocl., Nicocl., Paneg., Phil., de pace partim, Archid., Panath., Trapezit. partim) diligenter descripsit in libello saepius iam commemorato I p. 4/9, collatione Philippi adiecta. Atque ipse lectiones a Buermanno excussas et mihi concessas in codice examinavi, partem reliquam post Coraem primus comparavi, de quibus exposui codd. auctor. p. 40/46 et Philolog. 1896 p. 660/3. Cf. cap. III.

5) cod. Vatic. 228, chartac. in 4⁰ ($24^3/_4 \times 16$ cm.) foll. 308, saec. XIV. Inter alia legitur ἰσοκράτους ῥήτορος λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 279a ad 283b cum lacuna magna inter f. 281/2: deest § 28 ἔστι δὲ χρήματα ad § 42 σιγῆς κρείττων, ἐν δὲ. In f. 305b subscriptio exstat cryptographica. Cf. p. LX.

6) cod. Vatic. 604, chartac. in 4⁰ ($22^1/_4 \times 15$ cm.) foll. 187, saec. XV. a pluribus scriptus. Inter alia invenitur ἰσοκράτους ῥήτορος πρὸς δημόνικον παραίνεσις 176b ad 181b. Cf. p. LX.

7) cod. Vatic. 790, chartac. in 8⁰ ($14^3/_4 \times 10^1/_2$ cm.) foll. 277, saec. XV. in. Inter excerpta varia maxime theologica inest Isocratis oratio ad Demonicum 259a ad 266a. Cf. codd. auctor. p. 40 et infra p. XLVI.

8) cod. Vatic. 936 (= Δ), chartac. in 4° (23 × 15 cm.) foll. 234, saec. XIV. Inter Isocratis orationes XVIII et epistolas IX interpositae sunt Themistii orationes VIII (184a ad 222b) in quaternionibus cum Isocrate non cohaerentibus. Atque orationum Isocratearum ordo hic est: Helen. 1a, Euagor. 6a, c. sophist. 12b, Busir. 14b, ad Demon. 18b, ad Nicocl. 23a, Nicocl. 27b, de pace 33b, Aeginet. 46a, Trapezit. 51a, c. Lochit. 57a, Archid. 59a, Areopag. 70a, Plataic. 78b, Philipp. 85a, Panath. 100a, Paneg. 127a, Antidos. 145b ad 183b, cum epistolae codicis Γ seriem sequantur. Correctores discernendi sunt quattuor, quorum tres (1. 3. 4) totum codicem retractaverunt, unus (2) orationem de pace fere solam attigit. Priores autem (1 et 2) ipsum archetypum videntur ante oculos habuisse, cum corr. 3 vel idem hoc exemplum vel alium librum cum Θ familiaritate coniunctum adhibuerit, corr. 4 ad libidinem locos quosdam tentaverit, quod nonnunquam feliciter ei cessit (cf. VII 16, XVII 81). De codice, quem Bekkerus iam cum Euagora, Helena, c. sophist., Antidosi contulit, videas Buermannum I p. 3, II p. 22, codd. auctor. p. 5/26, infra p. XLIII.

9) cod. Vatic. 937, chartac. in 4° min. ($21\frac{1}{2}$×15 cm.) foll. 3 (A B C) + 380 in voll. II ligatus, saec. XV. in. a variis scriptoribus exaratus. Incipit Isocratis πρὸς δημόνικον (1a ad 6b; f. 7 vac.), quam orationem sequuntur (8a) scripta Libanii et aliorum. Non nihil interest referre notam hanc ad Demon. § 37 in margine appictam: ἄκουε ἀνδρέα παλαιολόγε· σοὶ γὰρ ἁρμόζει τοῦτο· εἰ γὰρ τῶν κοινῶν ἐπιμελειῶν ἀπηλλάγου, οὐκ ἂν σοι συνέβαινεν ἡ πτῶσις. Cf. codd. auctor. p. 40 et infra p. XLVI.

10) cod. Vatic. 938, chartac. in 4° min. ($22\frac{1}{4}$×$14\frac{1}{2}$ cm.) foll. 237, saec. XV. Isocratis orationem πρὸς δημόνικον παραινετικός (1a ad 4b) excipiunt Thucydidis historiae cum vita et excerptis ex Dion. Halic. et laudatio quaedam Choricii εἰς σοῦμον τὸν ἐνδοξότατον στρατηλάτην (ed. Boissonade p. 25 sq.). Cf. p. LXI.

11) cod. Vatic. 1336, chartac. in fol. min. (28 × 20 cm.) foll. 176, saec. XV. ex. a tribus librariis scriptus. Liber qui „μουσούρου καὶ τῶν χρωμένων. Florentiae 1493“ erat (cf. notam in folio chartaceo praeposito), postea vero Fulvii Ursini, post Xenophontis memorabilia exhibet epistolas Socraticorum (51a) et Isocratis VIII (II. τοῖς ἰάσονος παισὶ χαίρειν, I. et VII. et IX. sine titulo, VIII. ἀλεξάνδρῳ, VI. sine titulo, V. τιμοθέῳ χαίρειν, IV. τοῖς μιτυληναίων ἄρχουσι: deest epist. III.) 58a ad 66a et alia. Cf. p. LXIV.

12) cod. Vatic. 1347, chartac. in 4° (23 1/2 × 16 cm.) foll. 254, saec. XVI. In fine libri miscellanei, qui Fulvii Ursini erat, epistolis Diogenis annexa est Isocratis epistola tertia ἀρχιδάμῳ λακεδαιμονίων βασιλεῖ (251b ad 254b). Cf. p. XLVII.

13) cod. Vatic. 1353, chartac. in 4° (23 × 16 3/4 cm.) foll. I + 8 (A ad H) + 242, saec. XV. (anno 1464? cf. notam in f. I ad hunc annum pertinentem) scriptus a Constantino Lascari: cf. f. Bb κωνσταντίνου τοῦ λασκάρεως κτῆμα καὶ πόνος et 242b Κωνσταντίνου λασκάρεως καὶ πόνημα καὶ κτῆμα. Codex epistolographicus inter alias Isocratis epistolas IX exhibet hoc ordine I. IX. VII. VIII. VI. IV. III. II. V. 131a ad 145a). Cf. Aeschinis q. f. epistolae p. 7 et infra p. XLVII.

14) cod. Vatic. 1383, membran. in 8° min. (13,9 × 8 3/4 cm.) foll. 213, saec. XV. (ex supellectile Fulvii Ursini). Post alia insunt Isocratis orationes V (πρὸς δημόνικον παραίνεσις 29b, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 61a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 91b, βουσίριδος ἐγκώμιον 129b, εὐαγόρας 156a) et earundem orationum argumenta (201a ad 213b). Cf. Buermann I p. 11 et infra p. LIII.

15) cod. Vatic. 1392, chartac. in 4° min. (21 1/2 × 14 1/2 cm.) foll. 170, saec. XV.: cf. librarii notam in folio chartaceo praefixo ἡ παροῦσα βίβλος γεωργίου τοῦ παγά ἐστιν. Post Libanii rhetorica quaedam et Aeschinis orationem de falsa legatione cum argumento (108a) leguntur Εἰσοκράτους orationes III (ad Nicocl. sine titulo 143a, Nicocl. sine titulo 149b, Helen. 159a). Cf. p. LI.

16) cod. Vatic. 1448, membran. in 4° min. (21 1/2 × 14 1/2 cm.) foll. 194, saec. XV. Nonnullas Juliani, Themistii, Libanii orationes excipiunt (95a) Themistii orationes VIII eaedem atque in cod. Vatic. 936 = Δ (in fine mutilae), subinde Isocratis epistolae IX (175a) eodem ordine atque in Γ (et Δ), VII. et IX. tamen inter se commutatis. Cf. p. XLVII.

17) cod. Vatic. 1461, membran. in 4° min. (21 1/4 × 14 1/2 cm.) foll. 297, saec. XV. Liber epistolographicus est Phalaridis 1a, Anacharsidis 61a, Euripidis 65a, Diogenis 70b, Cratetis 81b, Pythagor. 89b, Platonis 100a, Chionis 151b, Isocratis IX 167a (eodem ordine atque in Φ), Socratic. 189b (foll. 220/6 vac.), Bruti 227a, Alciphronis 242a, Apollonii 281a. Cf. p. LXIII.

18) cod. Vatic. 2191 (Colonens. 30), chartac. in fol. min. (28 × 19 1/2 cm.) foll. 89, saec. XV. a tribus librariis exaratus. Continentur Isocratis orationes X: πρὸς δημόνικον παραίνεσις, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, Paneg., Helen., Euagor., ἐγκώμιον εἰς βούσιριν,

c. sophist., Plataic. (64b: manus II. inde a f. 65), Areopag., νικοκλῆς ἢ συμμαχικός (81a: manus III.). Cf. Philolog. 1896 p. 663 et infra p. LVIII.

19) cod. Vatic. 2226 (Colonens. 65), chartac. (bombyc.) in 4° (23 × 15 cm.) foll. 309, saec. XIV. Insunt post Isocratis περὶ τοῦ ζεύγους (12a ad 16b) grammatica et rhetorica multa. Librum possidebat Demetrius Triboles: cf. f. 201b ἡ παροῦσα ἥδε βίβλος ἐστιν ἐμοῦ δημητρίου τριβώλη πελοποννησίου ἐκ σπάρτης et 306b ἠγόρασα ταύτην τὴν βίβλον ἀπὸ τὸν ἀδελφόν μου ἰωάννην· ὀφείλω αὐτὸν δι' αὐτὴν δουκάτα ια. ἀκμὴν ὀφείλω καὶ εἰς τὸ λεξικὸν δουκάτα ἓξ καὶ τὴν εὐχήν μου. Cf. Philolog. 1896 p. 663 et infra p. LI.

20) cod. Palatinus 134, chartac. in 4° min. (21 ½ × 15 cm.) foll. 6 + 299, saec. XV./XVI. a quattuor librariis scriptus. Liber miscellaneus praeter alia multa inter epistolographos varios (inde a 121a) Isocratis epistolas IX (217a ad 235b) praebet eodem ordine atque Φ, II. et I. tamen inter se commutatis. Epistolae I. VII. VI. titulis carent; epistolae III. haec est inscriptio ἰσοκράτους ἐγκώμιον ἀρχιδάμου. Cf. p. LXIV.

21) cod. Palat. 135, chartac. (bombyc.) in 8° (18 ½ × 12 ½ cm.) foll. 166, saec. XIV. Codex Isocratis orationes XXI mutilas cum scholiis complectitur: Helen. (incip. § 16 πλείστων γὰρ ἡμιθέων), Euagor., Busir. argumento praevio, ad Nicocl., ad Demon., Nicocl. ἢ συμμαχικός, Paneg., c. soph. etc. pariter atque Λ. Avulsa sunt folium unum inter f. 71/72 (Philipp. § 44 ἐγενόμεθα ταῖς ἐκείνων ad 53 θετταλίαν δ'), bina folia inter f. 77/78 (Philipp. § 117 τῶν ἀγαθῶν αἰτίους ad 139 ἄξιον θαυμάζειν) et inter f. 92/93 (Archid. § 11 ὑμεῖς δικαίως ἂν ad 35 πόλεις περὶ τούτου), folia singula inter f. 160/1 (Trapez. § 51 πέμψειε δ' αὐτὸν ad Callimach. § 3 εἰ τῶν νόμων) et in fine libri (Callimach. § 61 ὥστε τῶν ἄλλων κτέ). Cf. Buermann I p. 11/12 et infra p. L.

22) cod. Palat. 187, membran. in fol. min. (26 × 18 cm.) foll. 162, saec. XV. scriptus a Joanne Scutariota. Continentur Isocratis orationes XVIII: ad Nicocl., Nicocl. ἢ συμμαχικός, Paneg., Helen., Euagor., ἐγκώμιον εἰς βούσιριν, c. sophist., Plataic., Areopag. (= Λ), c. Lochit., in Euthyn., de bigis, Aeginet. (= Λ), Philipp., de pace, Archid. (= Λ), in Callim.: defic. f. 162b supra in § 67 τοῦ δικαίου ζητοῦντες. Cf. p. XLIX.

23) cod. Palat. 304, chartac. in fol. (32 ¼ × 22 cm.) foll. 40, saec. XV./XVI. Post Themistii orationes VI (cf. cod. Vatic. 936 = Δ)

exstat Isocratis ἑλένης ἐγκώμιον deficiens f. 40b in § 53 γενομένης, πρὸς μὲν γάρ. Cf. p. XLVI.

24) cod. Ottobonianus 122, chartac. in fol. min. (28 × 20 1/2 cm.) foll. 459, saec. XVII. Eadem exhibet atque cod. Vatic. 1448 (cf. Δ) cum Isocratis epistolis IX in fine, quorum ordo foliis transpositis a bibliopega misere turbatus est (nunc 419a ad 453b, 254a ad 260b, 456a ad 459b). Subscriptio legitur in f. 459b τὸ τέλος τούτου βιβλίου γεγραμμένου ἔτει τοῦ παύλου πέμπτου ἄκρου ἀρχιερέως τῆς ἀρχιεροσύνης ις. Cf. p. XLVII.

25) cod. Ottobon. 178, chartac. in 4⁰ min. (20 1/2 × 14 1/2 cm.) foll. 162, saec. XVI. Post rhetorica varia Graeco-latina insunt Isocratis orationes VI: λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 90a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, νικοκλῆς περὶ πῶς δεῖ ἄρχεσθαι, βούσιρις πρὸς πολυκράτην, τῆς ἑλένης ἐγκώμιον, κατὰ σοφιστῶν et epistolae VII 145a ad 161a (I. IX. VII. VIII. VI. IV. III.). Subscriptio haec in f. 161a τέλος εἴληφεν ἐν μηνὶ μαΐω παρ' ἰωακεὶμ ἱερομονάχου ἐν τῇ μονῇ τοῦ σωτῆρος μεσσήνης ἔτος ϛϡϟγ΄ τῆς ἰνδίκτ. γ΄ (= 1485 p. Chr. n.); subscriptio similis in f. 87b sub Aristotelis rhetoricis ad Alexandrum. Vereor tamen librum hunc anno 1485 ascribere, qui secundum scripturam potius saeculo XVI. tribuendus sit: quamobrem subscriptiones illas ex libro vetustiore religiose depictas esse putemus (cf. Feron et Battaglini in Catalogo codicum Ottobon. p. 100/1). Cf. p. XLIV.

26) cod. Ottobon. 330, chartac. in 4⁰ min. (21 × 14 cm.) foll. 60, saec. XVI. Luciani dialogos quosdam sequitur Isocratis πρὸς δημόνικον λόγος παραινετικός 48a ad 60b. Cf. p. LX.

27) cod. Vaticanus-Reginus 93, membran. in fol. (29 1/2 × 21 cm.) foll. 78, saec. XV. Isocratis orationes XIII exstant: παραίνεσις πρὸς νικοκλέα τὸν βασιλέα, Helen., Busir., c. sophist., c. Lochit., Euagor., Paneg., Nicocl. ἢ συμμαχικός, in Euthyn., Plataic., Areopag., de pace, Panath. Cf. Buermann I p. 13 et infra p. LI.

28) cod. Vaticanus-Barberinianus I 12 (no. 188), membran. in 8⁰ min. (15 × 10 1/2 cm.) foll. 92, saec. XV./XVI. Post Basilii Magni admonitionem de legendis gentilium libris 1a et Hesiodi opera et dies 41a praebetur Isocratis oratio ad Demonicum 71a (sine titulo). Cf. p. LIV.

29) cod. Vatic.-Barberin. I 82 (no. 315), chartac. in 4⁰ min. (21 1/2 × 14 1/2 cm.) foll. 93, saec. XVI. Hesiodi opera et dies 1a

et Basilii Magni admonitionem 30a (cf. cod. Vatic.-Barb. I 12) excipiunt 62a **Isocratis orationes** III: Helen., Euagor., Busir. Cf. p. LI.

30) cod. **Vatic.-Barberin.** I 116 (sine numero), chartac. in 4⁰ (22 ½ × 15 cm.) foll. 36, saec. XVI. **Isocratis Euagoram** (2a ad 12a: sine titulo) sequuntur Plutarchi et Plethonis quaedam. Cf. p. LI.

31) cod. **Casanatensis** 483, membran. in 8⁰ min. (14 ½ × 9 ¼ cm.) foll. 88, anni 1430: cf. f. 88b ἐπληρώθη τὸ παρὸν βιβλίων διὰ χειρὸς ἐμοῦ ἱεροδιακόνου ἑρμολάου προτονοταρίου τῆς βεναιτίας ἐν (τῷ in mg. pr.) ἔτι ,αυλ. Insunt **Isocratis orationes** III: παραίνεσις πρὸς δημόνικον, πρὸς νικόκλη, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός. Cf. p. LIII.

32) cod. **Vallicellanus** 25 (B 120), chartac. in 8⁰ min. (15 ⅓ × 10 cm.) foll. 83, saec. XVI. Continentur Plutarchi scripta quaedam moralia, **Isocratis** πρὸς εὐθύνουν ἀμάρτυρος λόγος 31b ad 34b, Pindari Ὀλύμπια. Orationis Isocrateae partem priorem § 1/6 comiter mihi contulit amicus Guil. van Gulik Romanus. Cf. Em. Martini, Catalogo di Manoscritti greci esistenti nelle biblioteche italiane II 1902 p. 42 et infra p. LII.

33) cod. **Vallicellanus** 81 (F 14), chartac. in 4⁰ (22 ½ × 15 ½ cm.) foll. 111, saec. XVI in. a variis librariis scriptus. Liber miscellaneus incipit f. 1—5a ab **Isocratis** oratione **ad Demonicum** initio mutila (incip. inde a § 5 διόπερ ἡμεῖς); sequuntur varia, Libanii maxime et Aristidis. Orationis Isocrateae particulam § 34/6 in meum usum excussit vir amicus idem. Cf. Martini l. l. II p. 137 et infra p. LX.

Florentiae (in bibliotheca Laurentiana):

34) cod. **Laurentianus** IV 24, chartac. in 4⁰ min. (20 × 14 cm.) foll. 125, saec. XV. Post Basilii Magni admonitionem de legendis gentilium libris exstant **Isocratis orationes** XI: λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 18a, ad Nicocl., Nicocl. ἢ συμμαχικός, Helen., Euagor., ἐγκώμιον εἰς βούσιριν, c. sophist., Plataic., Aeginet., c. Lochit., in Euthyn. (usque ad 116a) et [Demosthenis] epitaphius 118a. Cf. p. LI.

35) cod. **Laurent.** LV 7 (= Σ), chartac. in 4⁰ (22 ¾ × 15 ½ cm.) foll. 442, saec. XIV. (a Bandinio falso assignatus saeculo XV.). Libro miscellaneo ab eadem manu exarato (cf. f. 109 χριστὲ προηγοῦ τῶν νικολάου πόνων) inter alia multa praebentur gnomologia varia: Maximi Planudis γνῶμαι καὶ ἐπιγράμματα 252a, Marci Antonini ἐκ τῶν καθ' αὑτόν 266a, Epicteti enchiridion 272b, Catonis disticha 280a, Pythagorae ἔπη τὰ χρυσᾶ 282b, septem sapientium apophtheg-

mata 283a, ἰσοκράτους ῥήτορος πρὸς δημόνικον παραίνεσις 283b, Agapeti ὑπόθεσις εἰς ἰουστινιανόν 285b, Solomonis paroemia 288b, ἐκ τῆς σοφίας Jesus Sirach 289b, Phocylidis carmen 291a. Atque orationi Isocrateae praemissa est hypothesis haec: κοινωφελὴς δὲ αὕτη· βούλεται δὲ συμβουλεῦσαι διὰ τοῦ δημονίκου πῶς δεῖ ζῆν (τὸν cod. Burn. 75) τῶν ἰδιωτῶν· καὶ τοῦτο ποιεῖ ἐνταῦθα· καὶ τὸ πῶς δεῖ βασιλεύειν προβαλλόμενος τὸν νικοκλέα· φεύγων δὲ τὸ φορτικόν, οὐ φανερῶς ἐπιφέρει τοῖς ἑαυτοῦ λόγοις τὸν ὅμοιον σκοπόν· ἄρχεται δὲ ἀπὸ θεῶν· εἶτα εἰς γονέας μεταβαίνει· εἶτα φίλους καὶ οἶκον καὶ πατρίδα· τήν τε δίαιταν τὴν παρὰ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν (cf. argumentum codicum ΠN). Desunt vero in oratione in scriptura continua § 14 τῶν περὶ τὸ σῶμα ad § 22 συμφέρῃ τὰς πράξεις. Cf. cap. III.

36) cod. Laurent. LVII 29, chartac. in 4⁰ (22 3/4 × 17 cm.) foll. 171 (10 foll. vac.), saec. XV: sub fine f. 171a subscriptio haec ἐγράφη παρ' ἐμοῦ βαρθωλομαίου κομπαρίνου ἐκ τοῦ πράτου ἐν τῇ φλωρεντία. Insunt scripta quaedam Luciani 1a, Plutarchi 70a (sec. Bandinium, immo 71a), Isocratis orationes III 106a (immo 111a ad 133a): πρὸς δημόνικον παραίνεσις, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός, Demosthenis Olynthiacae 129a (immo 136a), epigrammata varia 142a (immo 152a). Cf. p. LVIII.

37) cod. Laurent. LVIII 5 (= N, cf. Dindorf, Scholia graeca in Aeschinem et Isocratem p. VII), chartac. in fol. (32 3/4 × 23 3/4 cm.) foll. 123, quorum ordo a bibliopega turbatus est, saec XV. Continet Isocratis orationes XIII cum vita et argumentis, quae singulis orationibus praefixa sunt: ad Demon. 3b, ad Nicocl. 9a, Nicocl. 13a, Paneg. 19b (sine argumento), Helen. 39a, Euagor. 46a, Busiris 55b, c. sophist. 61a, Plataic. 64a, Areopag. 72a, Philipp. 80b, de pace 97a, Archid. 112a (= Λ). Cf. Buermann I p. 10/11 et infra p. LIII.

38) cod. Laurent. LVIII 12, membran. in 4⁰ (24 1/2 × 16 1/2 cm.) foll. 220, saec. XV. Exhibet Isocratis orationes XXI eodem ordine atque Λ. Finis orationis in Callimachum inde a § 67 ἀλλ' ἀποφαίνοντες μέν, ὡς ab alia manu additus est. Cf. Buermann I p. 11 et infra p. L.

39) cod. Laurent. LVIII 14, membran. in 4⁰ min. (20 1/2 × 14 3/4 cm.) foll. 280, saec. XV. Isocratis orationes XXI complectitur eodem ordine atque Λ. Oratio ultima in Callimachum deficit in § 67 τοῦ δικαίου ζητοῦντες. Cf. Buermann I p. 11 et infra p. L.

40) cod. Laurent. LIX 24, chartac. in fol. min. (28 1/4 × 20 1/2 cm.) foll. 133, saec. XV. Isocratis orationes IV: Antidos., de

bigis, Trapezit., in Callim. excipiunt (39a) Demetrii Cydonis orationes VII et epistolae XXII. Cf. p. LVII.

41) cod. Laurent. LIX 37 (= O, cf. Dindorf. Scholia graeca in Aeschinem et Isocratem p. VII), chartac. in 4⁰ min. (21 ¼ × 14 ¼ cm.) foll. 92, saec. XV. Post Dionis Chrysostomi orationes VI leguntur Isocratis orationes II: παρενετικὸς πρὸς διμώνικον 43a, κατὰ σοφιστῶν 50b praemissa oratoris vita cum argumento in Demoniceam usque ad οἱ ἀγῶνες καὶ αἱ πράξεις 38b, alia. Cf. p. XLVI.

42) cod. Laurent. LXX 19, membran. in fol. min. (28 × 19½ cm.) foll. 52, saec XV. Continet Dionysii Halic. vitam Lysiae 1a, epistolas Aeschinis 17b, Isocratis IX 26a, Socraticorum 40b. Epistolae Isocrateae eodem ordine leguntur atque in Φ; inscriptio primae (= III.) est ἰσοκράτους ἐγκώμιον ἀρχιδάμου; septem posteriores inscriptionibus carent. Cf. Aeschinis q. f. epistolae p. 10 et infra p. LXIV.

43) cod. Laurent. LXXIV 13, chartac. in 4⁰ min. (20½ × 13 cm.) foll. 373 (complura vacua), saec. XV. ab eadem manu scriptus. Insunt praeter alia multa Epicteti enchiridion 210b, Isocratis λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 218b, ἐκ τῆς οἰακιστικῆς ὑποτυπώσεως τοῦ βασιλέως κυροῦ λέοντος τοῦ φιλοσόφου 223b, Marci Antonini ἐκ τῶν καθ' ἑαυτόν 228a, alia. Sub Isocrate hoc tristichon politicum:

εἰ οὐκ ἐδόξαζες θεούς, ἰσόκρατες, ἀπείρους,
ἀλλ' ἕνα θεὸν παντέλειον ἐλάτρευες γνησίως,
οὐδεὶς βροτῶν ἐτόλμησε μῶμον ἐπιβαλεῖν σοι. Cf. p. LX.

44) cod. Laurent. LXXXVII 14 (= Θ), chartac. (bombyc.) in 4⁰ (24½ × 17½ cm.) foll. 146 (23—31 versuum), saec. XIII. a duobus librariis exaratus, quorum alter in f. 22b/23, 62a, 67/68a deprehenditur. Continentur ἀριστοτέλους περὶ κόσμου 1a, ἰωάννου τοῦ δαμασκηνοῦ 8b (physica quaedam capita: f. 12 vac.), Isocratis orationes XI: Helen. 13a, Euagor. 19a, Busir. 26b, Paneg. 31a, Areopag. 47a, Plataic. 53b, Archid. 58b, c. sophist. 68a, Philipp. 70a, Panath. 81b, Antidos. 102b ad 134a, πολέμωνος σοφιστοῦ εἰς καλλίμαχον καὶ κυναίγειρον 135a, θεοφράστου χαρακτῆρες 145a (nonnisi προοίμιον et εἰρωνεία), φιλοστράτου 145b (διάλεξις de epistolico charactere, cf. Kayser II p. 257/9). Librarius, qui nonnulla iam inter scribendum correxerat, codicem postea (atramento fere nigro) retractavisse videtur totum = corr. 1; recentior autem manus atramento fusco (vel subrutilo eadem?) usa est = corr. 2. Scholia rara partim librario, partim recentiori cuidam saeculi XIV. scribae (= Θ rec.)

vindicanda sunt. Codicis in Antidosi lectiones neglegenter exscriptas publici iuris fecit Mustoxydes anno 1812 (signat. Λ, cf. Orelli περι της αντιδοσεως 1814); librum cum Archidamo contulit Bekkerus; lectiones nonnullas ex Areopag., Plataic., Antidos. a Cobeto excerptas dedit Hirschig, Annotationes criticae 1849; denique Buermannus partem Panegyrici, Philippum, Panathenaicum, locos in Antidosi laudatos examinavit; ipse et orationes a Buermanno respectas retractavi, et orationes ab illo neglectas excussi. Cf. Buermann I p. 9/10 cum collatione Philippi p. 16 sq., codd. auctor. p. 54/56, Philolog. 1896 p. 658/60, infra c. III.

45) cod. Laurent. convent. suppress. 83 (fascio 6 dietro al pluteo 44), chartac. in fol. min. (29 1/2 × 21 1/2 cm.) foll. 72, saec. XV. Isocratis orationes V (παραίνεσις πρὸς δημόνικον, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός, Helen., Busir.) antecedunt Aristidis orationes duas 37a, Aristophanis Plutum 55a (mancum), Basilii Magni admonitionem de legendis gentilium libris 63a. Cf. p. LI.

46) cod. Laurent. conv. suppr. 84 (fascio 6 dietro al pluteo 44), chartac. in fol. min. (29 1/2 × 22 cm.) foll. 202, saec. XIV./XV. Isocratis orationes XIX habet (Philippum in f. 102a: sine titulo) eodem ordine atque cod. Urbinas 112, oratione in Callimachum (171a ad 177a) itidem deficiente in § 67 τοῦ δικαίου ζητοῦντες. Sequitur Aeschinis κατὰ τιμάρχου 179a et Anonymi epistola de imperio 201b. Cf. Buermann I p. 12 et infra p. XLIX.

47) cod. Laurent.-Riccardianus 12, chartac. in fol. min. (29 1/4 × 21 1/2 cm.) foll. 178, saec. XV. a tribus librariis per vices compositus, inter quos νικόδημος μόναχος cf. f. 167a. Inter alia (cf. Vitelli, Studi italiani di filologia classica II 1894 p. 481/5) praebet Excerpta de Isocrate ex Photii biblioth. cod. 159 (27b) et Isocratis orationes IX: Paneg. 28a (incip. man. II.), Helen., Euagor., c. sophist. cum argumento brevi ex locupletiore codicum ΠΝ consuto 56b, Philipp., de pace praevio argumento (addidit man. I.) usque ad ἡ δὲ στάσις πραγματικὴ 71b, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, c. Lochit., in Euthyn. (usque ad 92a). Sequuntur Lysiae epitaphius 94a (man. I.), Themistii quaedam, rhetorica et grammatica (101b man. III.). Cf. p. LV.

48) cod. Laurent. S. Marc. 314, chartac. in 4° min. (21 1/2 × 14 1/2 cm.) foll. 121, saec. XV. Inter grammatica exstat Isocratis πρὸς δημόνικον παραίνεσις deficiens in § 48 τῆς ἀρετῆς ἀμελεῖν 82a ad 87b. Cf. p. LX.

Mediolani (in bibliotheca Ambrosiana, no. 53 in bibliotheca Brerae):

49) cod. Ambrosianus E 26, chartac. in 8⁰ (15 × 10½ cm.) foll. 187, saec. XV. Codex miscellaneus incipit ab oratione Isocratis ad Demonicum (1a ad 16b: sine titulo). Cf. p. LXI.

50) cod. Ambros. E 81, chartac. in 4⁰ min. (21½ × 14½ cm.) foll. 318, saec. XV. In libro miscellaneo inter alia traditur Isocratis πρὸς δημόνικον παραίνεσις 104a ad 111a. Cf. p. LX.

51) cod. Ambros. N 269 super., chartac. in 4⁰ (24 × 16 cm.) foll. 78, saec. XVI. (anni 1603?). Post Platonis Euthyphronem et Plutarchi de utilitate ab inimicis capienda leguntur Isocratis orationes III: ad Demonicum 34a ad 45b (sine titulo), πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 51a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 63b. Trium horum codicum notitiam debeo discipulo meo Curtio Emminger. Cf. p. LVIII.

52) cod. Ambros. O 144 (= Є), chartac. in 4⁰ (23½ × 16½ cm.) foll. 275, saec. XV. in. a tribus librariis exaratus. Subscriptio cryptographica in f. 205b. Liber, qui Michaelis Sophiani olim erat (cf. inscriptionem μιχαήλου σοφιανοῦ καὶ τῶν ὄντως φίλων: [A. Mai], orat. de permut. 1813 p. 118 n.) postea „ex insula Chio advectus fuit 1606". Isocratis orationes XVIII et epistolas IX exhibet easdem atque cod. Vatic. 936 = Δ (f. 1—205), quas excipiunt Aristidis orationes aliquot cum scholiis (207a man. II.: in fine manc.) et κανόνες τῶν ἱερῶν καὶ θείων ἀποστόλων (272a man. III.). Correctores in Isocrate distinguendi sunt tres: librarius ipse (1), manus altera (2), quae atramento pallido perpauca emendavit, manus tertia (3), quae ex codice cum Π cognato lectiones varias orationibus ad Demonicum et ad Nicoclem ascripsit. Codicem primus adhibuit Mustoxydes, qui ex eo (signato A) orationem de permutatione descripsit (1812): quam ex codice emendavit Anonymus interpres (Angelus Maius 1813 p. 124/6). Scripturae varietatem in Panegyrico ab ignoto quodam excussam Bremius cum Baitero (Paneg. 1831) communicavit, qui etiam collationem Archidami, de pace, Trapezitici a Melch. Huldrico factam exscripsit p. VI/XII. Baiterus ipse librum postea contulit totum, cuius opera usi sunt editores Turicenses (1839) passim, usus est etiam Benselerus (1854) ad Philippum, Plataicum, Archidamum, de pace. Cf. Bock p. 41/43, Buermann I p. 3, codd. auctor. p. 26/39, infra p. XLIV.

*53) cod. Mediolanensis Brerae AG. XI. 2, chartac. in 4⁰ min. (21 × 16 cm.) foll. 184 (tria ultima vac.), saec. XV. a pluribus scriptus. Post Manuelis Moschopuli, Gregorii Corinthii, Aphthonii

quaedam Isocratis orationes III exstant mutilae: ad Nicoclem usque ad § 34 φαινομένους. δεῖ praevio argumento 152a, Nicocles inde a § 18 ναρχίαις ὄντες οὐκ ἔχοντες 160a, Busir. 170a. Translatio Latina vocabulorum plurimorum inter lineas apposita est. Cf. Em. Martini, Catalogo di Manoscritti greci esistenti nelle biblioteche italiane I 1893 p. 38.

Mutinae (in bibliotheca Estensi):

54) cod. Estens. 75 (α W 2, 8), chartac. in 4^0 (24 × 17 cm.) foll. 200, saec. XV: cf. f. 111b γεώργιος ὁ οὐάλλα πλακεντίνος ἔγραφε (similiter f. 185b). Inter grammatica et rhetorica multa leguntur Isocratis orationes II: λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 60a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας usque ad 77a et in fine Lysiae epitaphius 186a a manu II. Cf. p. LVIII.

55) cod. Estens. 130 (α P 6, 12), membran. in 4^0 ($23\,^3/_4$ × 17 cm.) fol. 147, saec. XV. a duobus librariis exaratus. Insunt Isocratis orationes XIV: πρὸς δημόνικον παραίνεσις initio manca: incip. § 51 δὲ τὰ χρήματα λαμβάνουσα 3a, Paneg., Helen., πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός, Euagor., Busir., c. sophist., Plataic., Areopag., in Euthyn., c. Lochit., de pace, Panath. Cf. p. LI.

56) cod. Estens. 144 (α T 8, 12), chartac. in fol. min. ($28\,^1/_2$ × 20 cm.) foll. 181, saec. XV. Codex miscellaneus a variis scribis exaratus inter varia exhibet Isocratis πρὸς δημόνικον 142a ad 144b. Subscriptio sub Aristotelis περὶ παντὸς κόσμου πρὸς ἀλέξανδρον βασιλέα 123a legitur haec: ἐπληρώθη ὁ παρὼν λόγος διὰ χειρὸς ἐμοῦ νοταρίου τῆς ἁγιωτάτης μητροπόλεως λακεδαιμονίας νικολάου τοῦ λεμενίτι· μηνὶ ἰουλλίω ἰνδικτιῶνος πέμπτης ἔτους ϛϡμθ' (= 1441 p. Chr. n.). ὁ αὐτὸς λόγος ἐστιν κυρίου δημητρίου καὶ αὐτοῦ μου ραοῦλλ τοῦ καβάκη: χωρικὸς δέ ἐστιν εἰς τὸ γράφειν, καὶ διὰ τὸν κύριον εὔχεσθαι καὶ μὴ καταράσθαι. Cf. p. LXI.

Venetiis (in bibliotheca Marciana):

57) cod. Marc. 415 (= Ξ), membran. in 4^0 foll. 213, saec. XV. Continet Isocratis orationes XXI: ad Nicocl., Nicocl., Paneg., ad Demon., Helen. atque reliquas sicut Λ sine argumentis (1—190); sequitur Dionysii Halic. τοῦ περὶ συνθέσεως ὀνομάτων ἐπιτομή (196 ad 213). Codicem ad Aegineticum adhibuit Bekkerus, cum Philipp. § 1—10, Antidos. § 320/3 contulit Keilius. Cf. Buermann I p. 15/16, Keil Hermae XXII 1887 p. 641, codd. auctor. p. 46/49, infra p. XLIX.

Bergomi (in bibliotheca publica):

58) cod. Bergomensis Δ, VI, 29, chartac. in 4^0 min. (20,7

×15,3 cm.) foll. 169, saec. XV ex., continens ante grammatica quaedam Byzantina Manuelis Moschopuli 14a et Constantini Lascaris 19b etc. Isocratis πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 2a et epistolam quandam ineditam Ἰσοκράτης τῷ ἀλεξάνδρῳ χαίρειν· ἐπέστειλάς μοι ὅτι πολλάκις κτέ 10a (Aristoteli tributam in cod. Tolet. 101—14, cf. Aeschinis q. f. epistolae p. 13). De codice hoc (§ 1/4, 51/54) accurate me docuit bibliothecarius Bergomensis A. Mazzi prompta liberalitate. Cf. p. LI.

Cremonae (in bibliotheca publica):

59) cod. Cremonensis 160, chartac. in folio min. (29×22 cm.) foll. 345, saec. XV. Libri miscellanei initium faciunt Isocratis orationes VII: πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός, Paneg., πρὸς δημόνικον παραινετικός, Helen., Euagor., Philipp. praemisso argumento: defic. in primis orationis verbis § 1 ὡς οὐ διὰ ἄνοιαν 34b. In margine scholia rara a librario aspersa sunt. Cf. Em. Martini, Catalogo di Manoscritti greci esistenti nelle biblioteche italiane I 1893 p. 303. Codicis, qui olim Theodori Gazae, postea doctissimi Danielis Gaetani Cremonensis (cf. Arisi, Cremona litterata, ad voc.) fuisse dicitur, accuratam notitiam comitate humanissimi bibliothecae Cremonensis praefecti Vict. Emm. Baromelli accepi. Cf. p. LV.

Parmae (in bibliotheca Palatina):

60) cod. Parmensis H H. IX. 69 (no. 200), chartac. in 4° min. ($20^3/_4 \times 15^1/_2$ cm.) foll. 60, saec. XV./XVI. Post varia grammatica et rhetorica a manu altera scripta est Isocratis παρεναίσης πρὸς δημόνικον ἠππόνικου 46a ad 60b. Cf. Martini l. l. I p. 184. Imago unius paginae (§ 33/34) photographice expressa bibliothecarii cura benevola mihi transmissa est. Cf. p. LIV.

Neapoli (in bibliotheca Borbonica):

61) cod. Borbonicus II C. 38 (no. 96), chartac. in 4° min. foll. 446, saec. ut videtur XIV. (saec. XV. secundum Cyrilli catalogum II p. 32). Inter varia (e. g. Epicteti enchiridion 212b, Catonis sententias 319a) exstat Isocratis ad Demonicum (376a ad 381b), cuius notitiam Buermanno debeo. Cf. codd. auctor. p. 39 et infra p. XLVI.

Panormi (in bibliotheca publica):

*62) cod. Panormitanus XI. A. 13, chartac. in 8° min. (14×10 cm.) foll. 85, saec. XVII. Inter Gregorii Nazianzeni orationes quasdam interposita est oratio Isocratis Εὐαγόρου ἐγκώμιον (15a ad 22b) et inter alia varia Demosthenis κατὰ φιλίππου A et B (65a ad 74b). Cf. Martini l. l. I p. 108.

in Gallia

Parisiis (in bibliotheca publica praeter no. 84):

(De codicibus Parisinis 963 = A, 1739 = B, 2010 = C, 2077 = D, 2557 = E, 2596 = F, 2678 = G, 2930 = H, 2931 = I, 2932 = K, 2944 = L, 2990 = M, 2991 = N, 2992 = O, 3024 = P, 3054 = Q videas Augerum I 1782 p. XII/XV, qui lectionis varietatem selectam operi absoluto subiecit III p. 402/26).

63) cod. Parisinus 963, chartac. in 4⁰ min. (21 1/4 × 15 cm.) foll. 386, saec. XV. Codex miscellaneus ab eadem manu scriptus inter alia multa habet Isocratis πρὸς δημόνικον 267b ad 276b, quam orationem excipiunt Aristidis πρεσβευτικὸς πρὸς ἀχιλλέα 280a, Aristotelis περὶ ἀρετῶν 289b, alia. Cf. p. LXI.

64) cod. Paris. 1739, chartac. in 4⁰ min. (21 3/4 × 14 1/2 cm.) foll. 376, saec. XV. a diversis librariis exaratus. Praeter alia multa inest λόγος παραινετικὸς ἰσοκράτους πρὸς δημόνικον 333a ad 339b. Cf. p. LXI.

65) cod. Paris. 2010 (= Y), chartac. in 4⁰ min. (21 1/2 × 14 cm.) foll. 100, saec. XIV. in. Quaterniones a manu antiqua notati sunt λε 1a, λς 9a, λζ 17a, λη 29a etc., ut initio libri XXXIV quaterniones periisse appareat. Post Platonis dialogos quinque et alia nonnulla exstant ἰσοκράτους παραινέσεις πρὸς δημόνικον (69a ad 71b med.), quas praeter librarium manus recentior (2) emendavit. Quae manus inde a § 27 glossas permultas inter lineas litteris minutis ascripsit, quas Augerus legere conatus est frustra: quarum priores exscribere sufficiat, ut eas plane nihili esse cognoscatur φιλόκαλος] φιλότιμος, μεγαλοπρεπές] μεγαλόψυχον, περίεργον] ποικίλον, ὑπερβάλλουσαν] ὑπερβολικήν, μετρίαν ἀπόλαυσιν] σύμμετρον μετουσίαν, καταφρόνει] ὑπερόρα, χρῆσθαι δὲ τοῖς ὑπάρχουσι] μεταχειρίζεσθαι οἰκονόμως (?) τὰ ὑπάρχοντα, ἱππεύειν] ὀχεῖσθαι etc. Verborum terminationes persaepe dubiae sunt (quod praesertim de ν paragogico valet), cum littera quadam terminante supra versum posita significentur. Cf. c. III.

66) cod. Paris. 2077, chartac. in 4⁰ min. (21 3/4 × 14 1/2 cm.) foll. 301, saec. XV. a duobus librariis compositus. Codex miscellaneus Isocratis εἰς δημόνικον (260a ad 263b: inscriptio a manu recentiore addita) praebet initio mutilo: incipit § 6 χῆς ἐπιμελείας ἐπεσκότησεν. Cf. p. LXI.

67) cod. Paris. 2557, chartac. in 4⁰ min. (21 1/4 × 14 1/2 cm.) foll. 182, saec. XV. ex parte scriptus per Michaelem Apostolium.

Inter varia (Syncelli, Palaephati, aliorum) legitur Isocratis λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 53a ad 62a. Cf. p. LXI.

68) cod. Paris. 2596, chartac. in 4⁰ min. (21 × 14 cm.) foll. 250, quorum priora 1 ad 183 saeculi XIV. sunt (bombyc.), posteriora 184 ad 250 anni 1475: cf. f. 194a sub Isocrate τέλος σὺν θεῷ ᾧ χάρις καὶ δόξα. 1475. ιοαννης ἔγρψε. Parte hac recentiore traduntur Hippocratis vita 184a, Isocratis παραινετικὸς λόγος πρὸς τὸν δημόνικον 187a, Hippocratis ἀφορισμοί 194a, Demosthenis Olynth. I 198a, alia. Verba orationis Isocrateae a librario confusa leguntur: § 3 σὺ μὲν ἀκμὴν ad § 8 χαρακτῆρα interposita inter § 12 εὐδοκιμῆσαι et § 13 πρῶτον μέν. Cf. p. LIV.

69) cod. Paris. 2652, chartac. in 4⁰ min. (21 × 13½ cm.) foll. 205, saec. XV. Post alia multa exstat Isocratis ad Demonicum 199a (sine titulo) deficiens 205b in § 40 προορᾶν ἐπίστῃ τὰ συμφέροντα. Cf. p. LX.

70) cod. Paris. 2678, chartac. in fol. min. (27½ × 20 cm.) foll. 199, saec. XVI. Post alia multa legitur Isocratis ad Nicoclem 188a (sine titulo). Cf. p. LIV.

71) cod. Paris. 2930 (= *Τ*, cf. Dindorf, Scholia graeca in Aeschinem et Isocratem p. VII), chartac. in fol. min. (28 × 21 cm.) foll. 169, saec. XV. Continet Isocratis orationes XXI (1a ad 117a) cum scholiis et cum argumentis ad orationes c. sophist. 35a, Plataic. 37b, Areopag. 40b, Philipp. 45b, de pace 55b, Archid. 64a, porro Aeschinis orationes III cum scholiis 118a et Dionis Chrysostomi orationes IV 168a. Ordo orationum Isocratearum idem est atque in *Λ*, Demonicea tamen post Panegyricum posita. Cf. p. LV.

72) cod. Paris. 2931, chartac. in fol. min. (29¼ × 21 cm.) foll. 174, saec. XV. Insunt Isocratis orationes XXI eodem ordine atque in *Λ*. Cf. Buermann I p. 11 et infra p. L.

73) cod. Paris. 2932 (= *Π*), chartac. in fol. min. (28½ × 21 cm.) foll. 154, saec. XV. a duobus librariis scriptus (cf. f. 150b/151a). Continet Isocratis orationes XIII cum vita et argumentis pariter atque cod. Laur. LVIII 5 (argumentum ad Nicoclem exstat inter Nicoclem et Panegyricum, ad Panegyricum deest). Post librarium correctores duo codicem retractaverunt, quos discerni non interest, cum auctoritatem non habeant magnam, praesertim cum saepius vix inter se dignoscantur (= *Π* rec.). Buermannus cum hoc libro contulit Demoniceam et Philippum (cuius lectiones videas apud Buermannum I p. 16sq.),

ipse excussi orationes Nicocleas et de pace. Cf. Buermann I p. 10/11, Philolog. 1896 p. 663/4, infra p. LIII.

74) cod. Paris. 2933, chartac. in fol. min. (29 × 20 $^1/_2$ cm.) foll. 225, anni 1474 cf. f. 206b. Liber miscellaneus incipit ab Isocratis oratione πρὸς δημόνικον 1a ad 3b. Cf. p. LXI.

75) cod. Paris. 2944, chartac. in fol. min. (29 × 22 cm.) foll. 247, saec. XV. a duobus scriptoribus confectus. Post scholia ad Demosthenem 1a ad 119b (D Dindorfii) et Zenobii proverbia 120a exstant Demosthenis orationes XVIII (140a: manus II.), orationes Demadis 198b, Alcidamantis 201b, Antisthenis 212a, Lysiae κατὰ φίλωνος δοκιμασίας 216a, Isocratis ἐγκώμιον ἀρχιδάμου (i. e. epistola ad Archidamum) 221a, Dionysii vita Lysiae 224b. In fine subscriptio θεοῦ τὸ δῶρον καὶ ἰωάννου κῶπος. Cf. p. LXIV.

76) cod. Paris. 2990, chartac. (bombyc.) in 4° min. (21 $^1/_2$ × 14 cm.) foll. 189, saec. XV. Libro lacunoso continentur Isocratis orationes XV: c. sophist., Plataic. cum argum., Areopag. cum argum., Φιλιππικός cum argum. 26b (desunt omnia inter § 7 πεπρᾶχθαι κρεῖττον ἦν et § 125 τοσοῦτον πεφρόνηκεν in f. 28a), de pace cum argum., Archid. cum argum., Trapezit., αἰγινιτικός, in Callim. 101a (f. 102 vac.), πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 113c, Nicocl. 120a (titulus iterum πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας), Helen., Euagor., Busir. cum argum., συμμαχικός 160b (defic. f. 185a infra in § 149 καὶ διαβάντες εἰς τὴν εὐρώπην, f. 185b/186 vac.). Sequitur f. 187/9 fragmentum orationis cuiusdam contra Demosthenem. Cf. p. LV/LVI.

77) cod. Paris. 2991, chartac. in 4° min. (21 × 14 $^1/_2$ cm.) foll. 224, saec. XV. scriptus a Michaele Suliardo (cf. Omont, Facsimilés p. 14 et tab. 38). Leguntur Isocratis orationes XXI: λόγος παραινετικὸς ἄριστος πρὸς δημόνικον, — intercedit Anonymi consolatio ad amicum: παραινετικὸς ἀπὸ φίλου πρὸς φίλον δυσπραγήσαντα· ἀκηκόαμεν περὶ τῆς συμβάσης συμφορᾶς κτὲ 6b —, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, c. sophist.: argum. in marg., Helen. (sine titulo), ἐγκώμιον εἰς βούσιριν: argum. in marg., Euagor.: argum. in marg. (τριῶν προοιμίων κτέ), argumentum Plataici 41b, Paneg. 42a (sine titulo), Plataic. 66a, Areopag. cum argum., Philipp. cum argum., de pace cum argum. (sine titulo), Archid. cum argum., Panath. 133a (sine titulo), Antidos., c. Lochit., in Euthyn. (sine titulo), de bigis, Aeginet. (sine titulo), Trapezit. (sine titulo), in Callim. Ordo orationum inde a Plataico par atque in Λ. Cf. Buermann I p. 13 et infra p. LV/LVII.

78) cod. Paris. 2991 A, chartac. in 4° min. (21 × 14 cm.)

foll. 494, anno 1420 a duobus librariis per vices scriptus: cf. 494 b αὕτη ἐγράφη ἐν σπάρτη ὀκτωβρίου κα' καὶ ἐπέμφθη μετὰ τοῦ ἀώρως θανόντος θετταλοῦ τοῦ χρυσάφη τοῦ μηδὲ μόλυβδον ἔχοντος et 446 b ἐτελειώθη τὸ παρὸν βιβλίον ἐν μηνὶ σεπτεβρίω ἑνδεκάτη τοῦ ϛϡκη' (= 1420 p. Chr. n.) διὰ συνδρομῆς καὶ ἐξόδου τοῦ πανευγενεστάτου κυροῦ ματθαίου παλαιολόγου τοῦ λάσκαρι. Liber miscellaneus incipit ab Isocratis oratione πρὸς δημόνικον 2a ad 11b. Cf. p. LXI.

*79) cod. Paris. 2992, chartac. in 4⁰ foll. 376, saec. XVI. per Caesarem Strategum scriptus. Librum miscellaneum, qui initio Isocratis orationem ad Demonicum 1a ad 17b habet, nescio quo pacto supersedi inspicere; neque tamen ullius videtur pretii esse, cum Augerus (= cod. O) hanc solam lectionem ex eo notaverit § 28 χρῆσθαι δυναμένοις pr., κτᾶσθαι in mg. (= Γ).

80) cod. Paris. 3024, chartac. in 4⁰ min. (21 × 14 cm.) foll. 88, saec. XV./XVI. Libanii epistolas aliquot initio mutilas excipiunt Isocratis orationes IV: παραίνεσις πρὸς δημόνικον τὸν ἱππονίκου 11a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, Nicocl. (sine titulo), Helen. (ad 53b, f. 54 vac.), quibus continuantur Basilii Magni admonitio de legendis gentilium libris 55a (sine titulo) et a manu altera scripta πρόκλου διαδόχου λυκίου στοιχείωσις φυσική 73a (lib. II). Cf. p. LI.

81) cod. Paris. 3054, chartac. in 8⁰ min. ($10\frac{1}{2} \times 6\frac{3}{4}$ cm.) foll. 190, saec. XV. exaratus a Jano Lascari (secundum scripturam). Liber incipit ab Isocratis epistolis IX: III. 1a (initio mutila, incip. § 3 τῶν ἐν πελοποννήσω), I. λυκόφρονι 6a, II. τοῖς ἰάσονος παισὶ χαίρειν 9a (in marg. βα' = δευτέρα), VII. 14b (sine titulo), IX. 21b, VIII. 24b, VI. 26a (sine titulo, defic. 30b in § 12 χρόνον διατετέλεκα, cum folium desit), V. 31a (initio mutila, incip. § 2 ἀνθρώπων οὐχ οὕτως), IV. 35b ad 40b. Sequuntur epistolae variae et alia: cf. Aeschinis q. f. epistolae p. 6 et infra p. LXIV.

82) cod. Paris. supplem. 69, chartac. in 4⁰ min. ($21\frac{1}{2} \times 14\frac{1}{2}$ cm.) foll. 42, saec. XVI. Post Platonis Axiochum, Euthyphronem, Critonem leguntur Isocratis πρὸς δημόνικον παραίνεσις 25a ad 31b et alia paraenetica Agapeti 33a et Pythagorae 41b. Cf. p. LXII.

83) cod. Paris. supplem. 467, chartac. in 4⁰ min. ($21 \times 14\frac{1}{2}$ cm.) foll. 312, saec. XVI. (ex codicibus Mynae). In fine libri post alia multa exstat Isocratis πρὸς δημόνικον λόγος παραινετικός 300a ad 309a mutilus (defic. in § 44 παρόντος βίου συμβουλίαν) cum translatione Byzantina inter lineas usque ad § 38 δόξαν παρασκεύαζε. Cf. p. LX.

84) cod. Parisinus-Mazarinianus 1231 (4457 apud Molinier, P 8 apud Omont), chartac. (bombyc.) in 4⁰ (22 × 14½ cm.) foll. 222, saec. XV. Post rhetorica quaedam Aphthonii 1a, Hermogenis 31a, Theophrasti characteres 201a exhibet Isocratis κατὰ σοφιστῶν 205a ad 206b, de cuius memoria (§ 21/22) bibliothecae Mazarinianae praefectus libentissime certiorem me fecit. Cf. p. LI.

in Anglia

Londinii (in museo Britannico):

85) cod. Harleianus 5609, membran. in 4⁰ (22 × 14 cm.) foll. 49, saec. XV. ex. Post Basilii Magni admonitionem de legendis gentilium libris insunt Isocratis orationes II: πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 21a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 33b. Cf. p. LI.

86) cod. Harleianus 5660, membran. in 4⁰ (23 × 14½ cm.) foll. 72, saec. XV. ex. a quattuor librariis compositus. Basilii Magni admonitionem de legendis gentilium libris 1a ad 11b sequuntur Isocratis orationes III: πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 13a, πρὸς δημόνικον παραίνεσις 21a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 29a ad 37b (f. 38 vac.) et τοῦ αὐτοῦ (immo Plutarchi) περὶ πολυπραγμοσύνης 39a, πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου 47b. Cf. p. LVIII.

87) cod. Harleianus 6301, chartac. in 4⁰ min. (21¼ × 15½ cm.) foll. 194, saec. XV. Inter alia quaedam gnomica et paraenetica exstant Isocratis orationes III: λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 76a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 93b, νικοκλέους περὶ τοῦ πῶς δεῖ ἄρχεσθαι 116a ad 125a med.: defic. in § 24 πόλεμον βασιλευομένους. Codices Harleianos duos (5660 et 6301) adhibuit Battie; apud Augerum = R. Cf. p. XLV, LI.

88) cod. Burneianus 75, chartac. in 4⁰ (22½ × 15 cm.) foll. 328, saec. XV. in. a tribus librariis per vices scriptus. Inter epistolas Bessarionis et Gemisti, Cydonis, Bruti 161a, Maximi Planudis 163b, Basilii et Libanii mutuas 169b, Cydonis iterum 181a et alia multa legitur ἰσοκράτους ῥήτορος πρὸς δημόνικον παραίνεσις 165b ad 168b praemisso argumento eodem atque in cod. Laur. LV 7. Cf. p. LXII.

89) cod. Burneianus 85, membran. in 8⁰ (18½ × 13 cm.) foll. 90, saec. XV. ex. Insunt Isocratis orationes IV: πρὸς δημόνικον λόγος παραινετικός 3a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, Euagor., Helen., quas excipiunt Lysiae epitaphius 55b, Phocylidis ποίημα νουθετικόν 69b, Pythagorae χρυσᾶ ἔπη 75a, γνῶμαι κατὰ στοιχεῖον ἐκ διαφόρων ποιητῶν 77a. Cf. p. LI.

90) cod. Burneianus 87, chartac. in 8⁰ (16 × 10½ cm.) foll. 25, saec. XVI. Isocratis oratio πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας (f. 1a ad 2a orationis initium usque ad § 2 περι του βιου καθ' εκαστον atque iterum inde a f. 3b ab initio usque ad finem omissis § 12 ἀλλ' ὡς καὶ τῆς ad § 19 τῶν φίλων εὐεργεσίαις; f. 10b et quattuor sequentia vacua) scripta est a librario quodam Graecae linguae imperito, qui f. 2b notavit „nu(m) mirum si in korreptae (= incorrecte) scripta sunt. nam a tirone formata Romae idibus Marti . . . Maximus in toto nunc Carolus imperat orbe." Cf. p. LI.

Oxonii (in bibliotheca Bodleiana excepto no. 97):

91) cod. Canonicianus 87, membran. in fol. (30¼ × 21½ cm.) foll. 119, saec. XIII./XIV. binis columnis exaratus. Subscriptio haec in fine partim cryptographica ἐντάδε τέλη πέφθακαν τοῦ σωκράτου οἱ πόνοι [ἀμήν | ὁ γράψας ἐ(στϊ)'ν τὸ ὄνομα γϊ|ραρδος ἐκ πόλεως με|θώνης· ἀμήν], de qua videas Gardthausen, Griech. Paläographie p. 236, ex vetustiore codice videtur depicta esse, cum librarius in verbo ἐστὶν erraverit (cf. etiam cod. Monac. 224). Continentur Isocratis orationes XIV: πρὸς δημόνικον παραίνεσις 1a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 6a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 11b, Euagor. 18a, Busir. 26b, Helen. 31a, c. sophist. 37b, Plataic. 39b, Areopag. 45b, in Euthyn. 53b, c. Lochit. 55a, de pace 57a, Panath. 71b, Paneg. 100a. Correctores duo. Cf. p. L.

92) cod. Baroccianus 38, chartac. in 4⁰ min. (20 × 15 cm.) foll. 418, quorum priora 1—244b saeculo XV., posteriora 247a usque ad finem anno 1595 scripta sunt: cf. subscriptionem numeris cryptographicis compositam f. 418b διὰ χειρὸς ἐμοῦ [νικολάου] ἱερέως [τοῦ λάκ(ρ)ου] ἐν ἔτει αφϙε (= 1595) ἐν μηνὶ μαρτίου ιδ (cf. Gardthausen, Griech. Paläographie p. 238). Pars prior post scripta quaedam Byzantina Matthaei, Genadii (sic), Plethonis exhibet Isocratis πρὸς δημόνικον 231a ad 241b. Codicem adhibuit Battie; apud Augerum = S. Cf. p. XLVI.

93) cod. Baroccianus 51, chartac. in 4⁰ min. (21 × 15 cm.) foll. 66, saec. XV. ex. Post Anonymi cuiusdam περὶ τῶν προλεγομένων τῆς ῥητορικῆς τέχνης (1a ad 21a) insunt Isocratis orationes II mancae 25a ad 49b (ad Demonicum incipiens a § 23 διὰ δύο προφάσεις, tum πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας omissis § 9 καὶ καλῶς πράττουσαν ad 28 ἵνα μὴ πλέον), quas excipiunt „quaedam philosophorum dicta" 52a et epistolae 60a. In Isocrate quaterniones

V. III. II. VI. transpositi sunt; quaterniones I. et IV. perierunt. Cf. p. LXII.

94) cod. Laudianus 16, chartac. in 4⁰ foll. 238 (immo 235), partes duas (172 + 63 foll.) saeculo XIV. a duobus librariis exaratas comprehendit. In parte posteriore post Libanii epistolas (176a) et orationes V (216a) exstat λόγος παραινετικὸς ἰσοκράτους πρὸς δημόνικον 232b, defic. 238b in § 47 οὐ δι᾽ αὐτὰ τὰ πράγματα ποιοῦμεν. Codicem adhibuit Battie; apud Augerum significatur T. Cf. p. LIV.

95) cod. Miscellaneus 189, chartac. (bombyc.) in fol. (31×21 cm.) foll. 205, saec. XV./XVI. a pluribus per vices scriptus. Codex mutilus et madore inquinatus, qui olim collegii Claromontani Parisiensis erat, post Platonis Gorgiam et Aristidis orationes XIX complectitur Isocratis orationes IV valde mancas: ad Nicoclem 194b (versu nono): inde a § 45 καὶ τί δεῖ et pergit 189a: inde a § 52 δῆλον γὰρ ὡς ad finem, Euagor. (189a): defic. (190b) in § 40 αὐτὸν προσῆκον ἦν ἀξιοῦσθαι, Helen. (191a): inde a § 22 καὶ διὰ μακροτέρων εἰπεῖν ad finem, Nicocl. (193a infra): defic. (194b) in § 25 ἡ διὰ τούτων τῶν παραδειγμάτων. Sequuntur scripta quaedam Michaelis Pselli f. 195. Ordo orationum Isocratearum in hoc libro sane confusus in archetypo fuerit Helen., Nicocl., ad Nicocl., Euagor. Cf. p. LIII.

96) cod. Miscellaneus 315, chartac. in fol. min. (29×20 cm.) foll. 50, saec. XV. Insunt Isocratis orationes VI: Euagor., πρὸς δημόνικον παραίνεσις, c. sophist., ad Nicoclem 20a (sine titulo: quinione amisso perierunt verba § 8 τὰς δυναστείας ἔχοντας ad finem), Paneg. 21a (mutilus: incip. inde a § 36 διακινδυνεύεις, ἀλλ᾽), νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 42a. Cf. p. LI.

97) cod. Collegii novi 254, chartac. in 4⁰ min. foll. 181, anno 1494 exaratus: cf. subscriptionem ἐτελειώθη διὰ χειρὸς ἐμοῦ ἰωάννου τοῦ σερβοπούλου κωνσταντινοπολιτάνου ἐν τῇ ἀββατίᾳ τοῦ ῥαδὶγκ μηνὶ σεπτεβρίῳ πέμπτῃ ἐν χρόνῳ τοῦ κυρίου ἡμῶν χιλιοστῷ τετρακοσιοστῷ ἐνενικοστῷ τετάρτῳ. Post alia praebet Isocratis orationes II: πρὸς δημόνικον 159a (cum interpretatione Latina interlineari), πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 168b. Libri a Battieo iam adhibiti (apud Augerum notati siglo V) accuratiorem notitiam comitati debeo viri doctissimi Harold E. Butler, lectoris collegii illius. Cf. p. LVIII.

in Germania

Monachii (in bibliotheca regia):

98) cod. Monacensis 224, membran. in 4⁰ ($24^1/_3$ × 17 cm.) foll. 167 (immo 168, cum folium inter 136/7 numerum non receperit),

saec. XV. nitide scriptus a Christophoro quodam: cf. subscriptionem ἐνθάδε τέλη πέφθακαν τοῦ σωκράτους οἱ πόνοι. θεοῦ τὸ δῶρον καὶ χρηστοφόρου πόνος (cf. cod. Canonic. 87). Continentur Isocratis orationes XIV: πρὸς δημόνικον παραίνεσις 1a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 7a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 23b, Euagor. 12a, Busir. 34a, Helen., c. sophist., Plataic., Areopag., in Euthyn., c. Lochit., de pace 81a, Panath. 101b, Paneg. 139b. Correctiones et explicationes manus primae (rubro appictae in margine) rarae sunt; correctores recentiores deprehenduntur duo. In libro ligando quiniones II. et III. (f. 20—29: ad Nicocl. § 21 τὰ σὰ πλείω usque ad Nicoclis § 48 πράττειν ἕκαστον ὑμῶν et f. 10—19: Nicoclis § 48 ἐφ' οἷς ἕστηκεν usque ad Euagor. § 54 φύσει πατρίς· τὸν δὲ), item folia singula quinionis IX. in oratione de pace (ordo est 91, 94, 92, 93, 96, 97, 95, 98) immutata sunt. Panegyrici lectiones ex hoc codice primus collegit Morus, in usum Langii liber excussus est totus ab Hardtio. Cf. p. L.

99) cod. Monac. 313, chartac. in 8⁰ (16 × 11 1/3 cm.) foll. 105 (adde 2 folia membranacea in initio et fine libri a manu prima inscripta), inter quae multa sunt vacua; saec. XVI. a duobus tribusve librariis exaratus, quorum unus fuit Adolphus Occo Phrisius secundum subscriptionem sub calce libri: cf. etiam f. 23b ὁδολφος ο προβος ὁ φρήσιος ἔγραψε. Post Pythagorae carmen aureum, Platonis Axiochum, excerpta ex Sophoclis Aiace leguntur Isocratis orationes II: παραίνεσις πρὸς νικοκλέα τὸν βασιλέα 12a, πρὸς δημόνικον παραίνεσις 18a et excerpta ex oratione eiusdem de pace (post prooemium § 1—9 plene exscriptum) 24a, quae sequuntur diversissima. Cf. p. LI, LXII.

100) cod. Monac.-Augustanus 495, chartac. in 4⁰ (22 × 14 1/2 cm.) foll. 234 (videlicet 1 ad 225 et 220 ad 228), saec. XV. Codici miscellaneo, cuius partes a variis librariis exaratae sunt (f. 1 ad 8 saeculo XIV. ex.?), inter alia multa insertus est λόγος ἰσοκράτους πρὸς δημόνικον 24a ad 33b. Adhibitus est a Langio. Cf. p. LXI.

Guelferbyti (in bibliotheca ducali):

101) cod. Helmstadiensis 806 (Guelferbitanus 902, cuius imaginem phototypicam dedit Heinemann, Die Handschriften der herzogl. Bibliothek zu Wolfenbüttel I, 2 1886 ad p. 232), membran. in 4⁰ min. (21 × 13 cm.) foll. 226, saec. XV.: cf. subscriptionem γεώργιος γέγραφεν ὁ χρυσοκόκκης ἀρίσπᾳ τηνδὶ βίβλον τῷ ἰωάννῃ (inter 1420/30). Continet orationes Aeschinis praemissis vita et argumentis, epistolas Aeschinis 152b, Isocratis IX 165a (consentientes cum Φ),

Socraticorum 185a, Dionysii Halic. vitam Lysiae 203a. De hoc libro, qui a Reiskio collatus est in usum Matthaei, accuratius egi in Blätter f. d. bayer. Gymnas.-Schulwesen XXXVII 1901 p. 358/60, Aeschinis q. f. epistolae p. 13 et 20, infra p. LXIV.

Heidelbergae (in bibliotheca universitatis):

102) cod. Palatinus-Heidelbergensis 132, chartac. in 4⁰ min. (20 × 14 ¹/₂ cm.) foll. 258, saec. XV. a pluribus scriptus, inter quos Zacharides quidam (f. 1—52). In libro, qui olim in bibliotheca Vaticana asservatus est, inter alia multa insunt Aristotelis περὶ ἀρετῶν 150a, ἰσοκράτους λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 153b ad 160b. Cf. Aeschinis q. f. epistolae p. 11 et infra p. LXI.

Dresdae (in bibliotheca publica):

103) cod. Dresdensis Da. 46, chartac. in 4⁰ min. (20 ¹/₂ × 14 ¹/₂ cm.) foll. 176, saec. XV. ex. (f. 1—8) et XVI. Isocratis πρὸς δημόνικον (1a ad 8a) excipiunt scripta quaedam Byzantina 9a. Cf. p. LXI.

104) cod. Dresdensis Da. 47, chartac. in 4⁰ min. (20 ²/₃ × 14 ¹/₃ cm.) foll. 8, saec. XIV. Habet Isocratis παραινετικὰ πρὸς δημόνικον. Codices Dresdenses Monachium liberaliter transmissos in bibliotheca universitatis inspexi. Cf. p. LXI.

Vratislaviae (in bibliotheca publica):

105) cod. Vratislaviensis (Rhedigeranus) 22, chartac. in 4⁰ min. (20 ¹/₂ × 13 ¹/₂ cm.) foll. 310, saec. XV. Liber quattuor partibus constans a quinque librariis compositus est, inter quos nomen professi sunt Antonius Damilas et Georgius Plussiadinus 134a, Michael Apostoles 301a. Partis secundae initio legitur Isocratis ad Demonicum (52a ad 60b: sine titulo), quam excipiunt Palaephati, Tryphonis, Michaelis Syncelli, Georgii Gemisti Plethonis quaedam. Codicis varietatem intercedentibus F. Kampers et F. Skutsch exscripsit mihi iuvenis philologiae studiosus K. Ziegler. Cf. p. LXI.

in Austria

Vindobonae (in bibliotheca caesarea):

106) cod. Vindobonensis 3, membran. in fol. magno (42 × 28 cm.) foll. 188, saec. XV./XVI. nitidissime scriptus et illuminatus: cf. subscriptionem ἐγράφη τὸ παρὸν βιβλίον τοῦ ἰσοκράτους διὰ χειρὸς ἀγγέλου κωσταντίνου ἐκ χώρης ὑδρούσης ἐκ τῆς χώρας στερνοδίκτας τῷ χρόνῳ τῆς δʹ ἰνδικτιῶνος. In codice, qui in f. 1a Andreae Matthaei Aquavivae Ducis Adriae arma gerens postea Jo. Sambuci fuit, haec traduntur Isocratis vita ex Ps.-Plutarcho 1a (sine titulo),

φιλοστράτου βίος ἰσοκράτους 3a, διονυσίου ἁλικαρνασέως περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων· ἰσοκράτης ἀθηναῖος 3b, ἰσοκράτους πρὸς δημόνικον λόγος παραινετικός 13a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 17b, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 22b, εὐαγόρας 28a, ἑλένης ἐγκώμιον 35a, βούσιρις 41a, κατὰ τῶν σοφιστῶν 45b, λόγος πανηγυρικός 47b, πλαταικός 65a, ἀρεοπαγιτικός 70b, παναθηναικός 78b, ὑπόθεσις τοῦ φιλίππου 104a, λόγος ἰσοκράτους πρὸς φίλιππον ibid., ὑπόθεσις τοῦ περὶ τῆς εἰρήνης 118a, λόγος ἰσοκράτους περὶ εἰρήνης 118b (subscr.: τέλος τοῦ περὶ τῆς εἰρήνης λόγου ἰσοκράτους), ὑπόθεσις τοῦ ἀρχιδάμου· λόγος ἰσοκράτους 132a, λόγος ἰσοκράτους ἀρχίδαμος 132b, περὶ τῆς ἀντιδόσεως 143a, περὶ τοῦ ζεύγους λόγος 162a, αἰγινητικός 167a, τραπεζιτικός 172b, παραγραφικὸς πρὸς καλλίμαχον 178b, κατὰ τοῦ λοχίτου 184b, πρὸς εὐθύνουν ἀμάρτυρος 186b = orationes XXI. Cf. p. LVIII.

107) cod. Vindobon. 296, chartac. in 4⁰ min. (20 × 15 cm.) foll. 66, saec. XVI./XVII. a compluribus scriptoribus confectus. Post ἐξηγήσεις εἰς τὸν τοῦ ἰσοκράτους πρῶτον λόγον (λέγεται δὲ νουθετικός in mg.) 1a et εἰς τὸν τοῦ ἰσοκράτους λόγον β' πρὸς νικοκλέα περὶ διοικήσεως βασιλείας exstat ἰσοκράτους ῥήτορος πρὸς δημόνικον 41a ad 47b (a manu II.). Cf. p. XLVI.

108) cod. Vindobon. 311, membran. in 8⁰ (19 × 13 cm.) foll. 79, saec. XV. (olim Jo. Sambuci). Post scripta quaedam de virtutibus Aristotelis 1a et Georgii Gemisti 13b complectitur Isocratis ad Demonicum (sine titulo) 49a ad 61b, quam sequuntur Moschi carmina. cf. p. LXI.

Iustinopoli, id est in urbe quae nunc vocatur Capo d'Istria:

109) cod. conventus St. Annae (sine signo), chartac. in 4⁰ min. (21 × 15 cm.) foll. 57 (foll. 53/55 et 57 vac.), saec. XV. (f. 1—38) et XV./XVI. Continentur Isocratis orationes III: πρὸς δημόνικον 1a, Basilii Magni de legendis gentilium libris 11b (sine titulo), πρὸς νικοκλέα 26a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 35a ad 38b (defic. in § 22 τοὺς δὲ βιάσασθαι), quae libri pars haud dubie saeculo XV. (XIV. sec. Gollob) a diversis manibus exarata est. Sequitur Ὁμήρου βατραχομαχία manca f. 39 ad 52 et 56, ubi subscriptio exstat τοῦτο τοῦ μοῦ φίλου τοῦ διδασκάλου στεφάνου: cf. Gollob, Sitzungsberichte d. Wiener Akademie d. Wissensch. CXLVI 1903 parte VII. p. 13. Codex comiter intercedentibus et reverendis Patribus Franciscanis Monacensibus et reverendissimo Patre Generali Dionysio Schuler Romano Monachium missus est, ubi in bibliotheca universitatis eum contuli. Cf. p. LI, LIV.

Raudnicii in oppido Bohemiae ad Albim sito:

110) cod. bibliothecae Lobcovicensis VI F e 44 (Gollob no. XIII.), chartac. in 4° min. (21 × 15 cm.) pag. 178, saec. XV./XVI. Tribus partibus constans post Euripidis vitam ex Suida et partem Hecubae v. 1—113 (I) exhibet Isocratis πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας p. 113/28 (II) et Plutarchi περὶ τῶν παίδων ἀγωγῆς p. 129/78 (III): cf. Gollob l. l. p. 122. Imaginem unius paginae (127 = § 51/54 init.) in meum usum solis ope exprimendam benigne curavit bibliothecarius Max. Dvorák. Cf. p. LI.

in Helvetia

Scaphusiae (in bibliotheca civica):

111) cod. Scaphusianus 43 (= Z), chartac. in 4° min. (20 1/3 × 14 1/3) foll. 209, saec. XV. Insunt Isocratis orationes XII eaedem atque XII priores in Λ, quarum e titulis referam hasce: ἰσοκράτους ῥήτορος λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 1 a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 11 a, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός 21 a etc., ἐγκώμιον εἰς βούσιριν 103 b etc. Codicem primus consuluit Baiterus (ad Paneg. p. XV/XVI), qui in oratione Demonicea optimae eum notae et aliquot locis ipsi Urbinati anteponendum esse censuit. Secuti eum sunt editores Turicenses (p. IV) et Benselerus (p. XII 3). Cf. Omont, Centralblatt f. Bibliothekswesen III 1886 p. 441, codd. auctor. p. 49/54, infra p. XLVI, LI, LIV.

in Batavia

Lugduni Batavorum (in bibliotheca universitatis):

112) cod. Lugduno-Batavus 29, chartac. in fol. min., saec. XVI.: fuit olim Josephi Scaligeri (cf. catalog. p. 340). Continet Isocratis orationes XXI eodem ordine atque Λ, Demonicea tamen inter Panegyricum et Helenam interposita. Codicis notitiam debeo Bergmanno (in ed. Areopag. 1819 praefat., a Benselero repetita 1832 p. XX/XXII) et bibliothecae illius praefecto, qui me rogantem de codicis indole officiose certiorem fecit. Cf. p. XLIX.

in Suecia:

Upsalae (in bibliotheca publica):

113) cod. Upsalensis 8 (Sparwenfeldt no. 49), chartac. in 8° foll. 336, saec. XV. ex. In codice miscellaneo, de quo videas Ch. Graux et Alb. Martin, Archives des missions scientifiques et littéraires XV 1889 p. 293 sq., inter alia multa exstat λόγος ἰσοκράτους πρὸς δημόνικον 88a ad 98a, cuius lectiones comiter mecum communicavit v. d. Otto Lagercrantz Upsalensis. Cf. p. LXI.

in Hispania

Matriti (in bibliotheca regia):

114) cod. Matritensis O 97 (Iriarte no. 103), chartac. in 4⁰ min. foll. 151, saec. XVI., quem descripsit M. Miller, Supplément au catalogue d'Iriarte, Notices et Extraits des manuscrits de la bibliothèque nationale XXXI 1886 p. 109. Post Dionysii Halic. de oratoribus inest Isocratis Panathenaicus 41a, cuius lectiones nonnullas (§ 65/6) libenter mihi exscripsit bibliothecae illius secretarius. Cf. p. LI.

115) cod. Matritensis N 98 (cf. Iriarte I p. 386/7), chartac. in 4⁰ foll. 146, saec. XV. scriptus maximam partem a Constantino Lascari: cf. f. 102b κωνσταντίνου τοῦ λασκάρεως κτῆμα. Complectitur Gorgiae Helenam 5a, Homeri vitam καθ' ἡρόδοτον 9a, Basilii Magni admonitionem de legendis gentilium libris 19a, Gregorii ad Euagrium Monachum de divinitate 28a, Xenophontis de republica Lacedaemoniorum 30a et Athe) niensium 42b, Isocratis orationes VIII et epistolas IX. Sunt autem hae: λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 46a, πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας 52b, νικοκλῆς περὶ τοῦ ὅπως δεῖ ἄρχεσθαι ἢ συμμαχικός 60a, βούσιρις πρὸς πολυκράτην 65b, ἑλένης ἐγκώμιον 70a, κατὰ σοφιστῶν 75b, ἐγκωμιαστικὸς πρὸς εὐαγόραν τὸν πατέρα νικοκλέως 77b, κατὰ λοχίτου περὶ τῆς αἰκίας 85a, ἐπιστολαὶ τοῦ αὐτοῦ 87a: διονυσίῳ, φιλίππῳ· ἐγὼ διελέχθην, φιλίππῳ· οἶδα μέν, ἀλεξάνδρῳ, ἀντιπάτρῳ ἀσήμως περὶ διοδότου· ἐγὼ καίπερ, τοῖς μυτιληναίων ἄρχουσι, ἀρχιδάμῳ, τοῖς ἰάσονος παισὶ χαίρειν. ἰσοκράτης τιμοθέῳ χαίρειν (ad 97b). Libanii orationes VI 99a, Aristidis Presbeuticus ad Achillem 137a. Cf. p. XLIV.

in **Escuriali**:

116) cod. Escurialensis Σ I. 14, chartac. in fol. foll. 161, saec. XV. Post Libanii orationes XII et epistolas CLXVIII, inter quas Aristidis πρεσβευτικὸς πρὸς ἀχιλλέα 15a exstat, traditur Isocratis λόγος παραινετικὸς πρὸς δημόνικον 157a. Priorem codicis partem usque ad 85b scripsit Michael Apostoles (cf. subscriptionem in fine libri μιχαῆλος ἀποστόλης βυζάντιος μετὰ τὴν τῆς αὐτοῦ πατρίδος ἅλωσιν πενίᾳ συζῶν καὶ τόδε τὸ βιβλίον μισθῷ ἐν κρήτῃ ἐξέγραψεν): librarius alter Libanii orationem XII. (epitaphium) et epistolas, tertius Demoniceam exaravit. Duarum paginarum imagines (157a = § 1/6, 160a = § 33/37) solis ope expressas accepi intercedente Josepho Hell, collega amico, cui debitas ago gratias. Cf. E. Miller, Catalogue des

manuscrits grecs de la Bibliothèque de l'Escurial, Paris 1848 p. 68/9 et infra p. LXI.

Salmantii (in bibliotheca universitatis):

117) cod. Salmantinus 1—2—15, chartac. in 8⁰, saec. XV./XVI. (folia numeris distincta non sunt). Continentur Isocratis orationes VII praemissa oratoris vita: ad Demonicum praevio argumento (καιρὸς μὲν ἤδη ad καὶ αἱ πράξεις), πρὸς νικοκλέα περὶ βασιλείας, νικοκλῆς ἢ συμμαχικός: sequitur argumentum, Paneg., Helen. praevio argum., Euagor. praevio argum., Busir. praevio argum.; quas Philostrati de Isocrate enarratio (ἐν τοῖς τῶν σοφιστῶν βίοις) excipit. De codicis memoria egregia cum liberalitate per epistolas certiorem me fecit universitatis bibliothecarius Gerardus Benito. Cf. Albert Martin, Mission en Espagne et en Portugal, Nouvelles archives des misssions scientifiques et littéraires II 1892 p. 181/2 et infra p. XLV.

Toleti (in bibliotheca capitulari):

118) cod. Toletanus 101—13, chartac. in 4⁰ foll. 235, saec. XVI. Post grammatica quaedam, Philostrati heroicum (= II p. 128/219 Kayser), Dionis Chrysostomi orationes VI exstant Isocratis oratines V praemissa oratoris vita 143a: ad Demon. 150b, ad Nicocl. 160a, Nicocles 171a, Paneg. 184a, Helen. 222b cum argumentis, quae antecedunt orationes ad Demon., ad Nicocl., Helenam; argumentum sequitur Nicoclem sicut in cod. Salmantino. Cf. Martin l. l. p. 289/92 et infra p. XLV.

in Lusitania

Lisbonae (in bibliotheca publica):

*119) cod. Lisbonensis L. 1. 26, chartac. in 12⁰ foll. 72, saec. XVI. nitide scriptus. Insunt Isocratis orationes III: ad Demonicum, ad Nicoclem, Nicocles. Cf. Martin l. l. p. 305.

in Graecia et Turcia:

Athenis (in bibliotheca publica):

120) cod. Atheniensis 1077, chartac. in 4⁰ (22 × 16 cm.) foll. 300, saec. XV. med. a pluribus librariis scriptus. Manuelis Moschopuli grammaticam 1a, Libanii epistolas 63b, Euripidis Troadas 68a (ad 80a, ubi subscriptio est ad annum 1460 spectans) sequuntur Isocratis orationes II mutilae: πρὸς δημόνικον παραίνεσις 81a, περὶ βασιλείας 93a ad 102b (i. e. ad Nicocl.: desunt cum foliis duobus § 17 ταχίστας τοῖς πολίταις ad 21 οἰκούντων τὴν πόλιν et § 52 λαμβάνειν αὐτῶν τὸν ad finem), quas excipiunt alia multa maxime theo-

logica (sub Theophanis episcopi libello subscriptio ad annum 1465 pertinens). Cf. p. LX.

In monte Atho (τῆς μονῆς ξηροποτάμου):

*121) cod. Athous 2426 (Lambros), chartac. in 16°, saec. XVI. Inter alia praebet Isocratis πρὸς δημόνικον cum paraphrasi interlineari.

Frustula tantum exigua orationum singularum servata sunt in codd. Borbon. II D. 26 (no. 122) saec. XV. (fol. 1 et 4 ex Euagora et Helena), Borbon. II C. 33 (no. 91) saec. XV. (fol. 257/66 excerpta nonnulla ex Panathenaico et aliis orationibus), Paris. 1428 saec XIV. (fol. 184 ex oratione ad Nicoclem), Palat.-Heidelberg. 129 saec. XV. (fol. 64) et 356 saec. XIV. (f. 64) frustula orationis Demoniceae, Athoo 4627 saec. XIV. (f. 59b ex Demonicea). Quibuscum conferas subscriptionem hanc codicis Oxoniensis-Grabiani 15 epistolographici saec. XVI.: ἦσαν δὲ καὶ φαλάριδος ἐπιστολαὶ καὶ ἰσοκράτους καὶ βρούτου τοῦ ῥωμαίου (cf. Aeschinis q. f. epistolae p. 3).

Restant codices haud pauci vel recentissimi vel paraphrasim Byzantinam solam exhibentes, quos accuratius tractari opus non est. Atque **codices recentissimos** quidem significo codices Hierosolymitanos a Papadopulo Cerameo descriptos, qui omnes fere sunt saeculi XVIII. (vol. I no. 228, 283, 284, 329, 372, 453/4, 469, vol. II no. 460, 466, 473, 479, 481, 701) vel saeculi XIX. (vol. IV no. 58) Paulo vetustiores sunt codices vol. IV no. 290 (orationes nonnullae cum paraphrasi), IV p. 436 no. 2 (or. X. XI.), IV p. 443 no. 47 (or. XI.) = saec. XVII.; IV p. 439 no. 29 (or. X. XI.) = saec. XVI./XVII. Atque etiam in ceteris libris orationes X. et XI. solae continentur exceptis vol. II no. 460, 466, 481 (orationes tres) et II no. 479 (orationes quinque). Idem Athenis libri quidam recentissimi saeculi XVIII. asservantur no. 1121 et 1133 (or. X. XI.), 1125 (or. X.), 1131 (or. X. XI. XIV.), dein Smyrnae in bibliotheca scholae evangelicae B 48 saec. XVIII. (no. 88 Papadopuli Cerami) orationes octo complectens (X. XI. XIII. XV. XII. IX. VII. XX. cum interpretatione interlineari), quem librum examinavi ipse. Quibuscum comparandi sunt codices Athoi saeculi XVII. (2416: or. XIII., 4641: orr. X. et X./XI., 4834: or. X.), saeculi XVIII. (509, 779, 2342: orationes; 1171, 4265: or. X. XI. XII. XIV.; 3885: or. X. XI. XIII. XV.; 4770: or. X. XI. XII.; 4790: or. X. XI. XIV.; 1583, 1748, 1754, 4274: or. X. XI. XIII.; 4315: or. XI. XII. XIV.; 4321: or. X. XI.; 2936: or. X. XIII.; 651, 776, 2322, 2943, 4244, 5491: or. X., 777: or. XI., 3859: or. XX.), saeculi XIX. (6155: or. X. XI.; 4245: or. X. XV.).

Paraphrases denique Byzantinas praeter codices nonnullos Hierosolymitanos (I no. 372, II no. 701, IV no. 58, 290), Athenienses (390, 1494), Athoos (777, 783, 1583, 1752, 1754, 2382, 2426, 6201, 6204), Smyrnaeos (B 10, B 48) praebent codd. Paris. supplem. 467, 698, 1144, Baroc. 216, Vindob. 296.

Codices, qui tantum dicta Isocratis graeca haberent, curandos esse omnino non putavi, neque respexi translationes orationum quarundam in Latinum etsi codicibus traditas, cum omnes a viris doctis saeculi XV. videantur factae esse.

Caput II.

Qua ratione codices inter se cohaereant.

Postquam Bekkerus (p. 3 not.) codicum Isocrateorum duas esse familias pervidit, Urbinatis (Γ) scilicet et vulgatae (ς), Buermannus I p. 3 etiam memoriam vulgatam bipertitam esse docuit. Nam cum Bekkerus orationis de permutatione memoria aut integra aut mutila nisus codices Urbin. 111 = Γ, Vatic. 936 = Δ, Laurent. LXXXVII 14 = Θ plenos opposuerit codicibus Vatic. 65 = Λ, Marc. 415 = Ξ mancis (deficit Antid. § 72 ad 309), Buermannus lectionis varietate perpensa codices Θ in Antidosi plenum et Λ mancum artius inter se cohaerere evicit. Verum enimvero Γ, qui orationis illius parte media servata cum Θ consentit, ab eo differt eiusdem orationis fine inde a § 320 καταλύσω τὸν λόγον (cum orationis de bigis initio usque ad § 3 τὰς κοινὰς αἰτίας) amisso, qui in Δ a correctore 3 suppletus est. Atque idem Buermannus codices Paris. 2932 = Π et Laur. LVIII 5 = Ν cum Λ artius etiam coniungendos esse, qui ex eodem archetypo derivati et orationum ordine et memoriae indole conveniant, rectissime perspexit (I p. 10/11). Ambitus vero codicum Π Ν minor est, cum quattuordecim codicis Λ orationes priores servaverint cum oratoris vita et orationum (excepta Panegyrica) argumentis, quae archetypo codicum Λ Π Ν debentur soli: in Λ vero oratoris vita cum quaternionibus primis amissa est, cum argumenta omnino in eo neglecta fuerint. Post Buermannum ipse et codicem Vaticanum 64 = Φ repperi (cum Θ fortasse componendum: cf. c. III), ex quo vulgata epistolarum memoria in Θ Λ deficiens fluxit, et nuper codices Laur. LV 7 = Σ et Paris. 2010 = Υ protraxi, qui orationis Demoniceae memoriam singularem attulerunt.

Quibus praemissis nunc primum ad codices recentiores recensendos accedamus, qui ex libris servatis profecti sunt, ita ut in oratoris verbis constituendis facile eis carere possimus.

Atque initium faciamus a codicibus ex **libro Urbinate 111** = Γ repetitis, inter quos primum locum obtinet cod. Vatic. 936 = Δ ex Γ pendens uno libro interiecto, qui cum codice quodam vulgatae memoriae leviter contaminatus erat. Etenim codicem Δ, qui a Γ differt et oratione de bigis neglecta et orationum ordine aliquatenus mutato et quibusdam lectionibus vulgatis receptis, nihilominus ex ipso Γ originem duxisse vel ex eo cognoscitur, quod codicis Γ correctiones variae (corr. 1, 2, 4, 5) in Δ maximam partem vel in textu descriptae vel in margine appictae sunt. In correctionibus $Γ_3$ autem recensendis librarius diversa ratione usus est, cum eas in prioribus orationibus miro quodam modo spreverit, in posterioribus religiose fere in ipso textu expresserit. Ad orationum ordinem inversum explanandum — etiamnunc triades quaedam orationum in Γ Δ conveniunt: ad Demon., ad Nicocl., Nicocl.; Archid., Areopag., Plataic.; Philipp., Panath., Paneg. — ad Antidosim in fine, orationem de bigis initio in Γ mutilatas revoco. Librarium enim, qui codicem Γ depinxit, orationes illas aliunde supplendas primum quidem ad finem voluminis relegavisse, postea orationem alteram consulto neglexisse verissime suspiceris. Haud difficilius altera inter Γ Δ differentia explicatur, quod partes ex orationibus Paneg., de pace, ad Nicocl. in Antidosi laudatae in Γ primis tantum et ultimis verbis significatae, in Δ exscriptae sunt integrae. Nam locis in Antidosi illis, qui in Θ Λ memoriam singularem praebent, in Δ ipsius Urbinatis verba subdita sunt, ita ut vel verba in Γ errore iterata (de pace § 53/54) in Δ Antid. (= $Δ^α$) itidem perperam repetita sint. Quo factum est etiam, ut in fine verborum laudatorum (XI 39, XVII 56), cum librarius in orationis textu ex Γ describendo pergeret, discrepantia quaedam a Γ Antid. (= $Γ^α$) in $Δ^α$ illata sit. Mireris tamen, quod verba orationis ad Nicoclem in $Δ^α$ eadem ratione in brevius contracta sunt, qua ex Θ Antid. = $Θ^α$ solo innotuerunt, duobus exceptis locis, quibus librarius codicem $Θ^α$ ducem deseruit: in § 24 nempe $Δ^α$ ex oratione inepte addidit haec sola οὕτως ὁμίλει τῶν πόλεων πρὸς τὰς ἥττους et in § 29 orationis interpolationem μηδεμίαν συνουσίαν εἰκῇ προσδέχου μηδὲ ἀλογίστως, ἀλλ' contra $Θ^α$ retinuit. Accedit quod in Δ lectiones nonnullae vulgatae (ex familia Θ) inveniuntur, quae ex codicis Γ correctionibus explicationem non habent. Ex quo librum medium inter Γ et Δ statuendum

esse, qui comparata memoria vulgata (Θ) exaratus fuerit, luculentissime apparet. Atque correctiones $Δ_1$, $Δ_2$, fortasse etiam $Δ_3$, quae cum Θ Λ vel Θ solo plerumque congruunt, ex eodem fonte petitas esse veri est simile, qua de re accuratius exposui codd. auctor. p. 12 sq.

Ex ipso codice Δ videtur descriptus esse cod. Ambros. O 144 = Ε, qui ab editoribus post Bekkerum magni olim aestimabatur ea potissimum de causa, quod neque Γ neque Ε satis accurate excussi erant. Atque in universum codices Δ Ε inter se plane consentiunt et orationum numero atque ordine et lectionis varietate (cf. imprimis XI 24 et 29 in Antidosi), cum pauci codicis Δ errores ex librarii socordia nati a diligentiore librario codicis Ε sublati sint. Etiam emendationes codicis Δ omnes paene (1, 2, 3) in Ε receptae sunt, lectionibus illis, quae in Δ prima manu in margine ascriptae sunt, nisi in margine non redditis et fine orationis de permutatione, quem corr. $Δ_3$ suppleverat, cum oratione uno tenore exarato. Correctiones temerariae $Δ_4$ in Ε pleraeque neglectae sunt, immo post codicem Ε descriptum munere suo videtur corrector ille functus esse, cum complures codicis Δ primae manus lectiones, quas corr. 4 radendo mutavit, in Ε reperiantur. Quae cum ita sint, fieri quidem potuit, ut Ε ex codicis Δ archetypo (ex Γ deducto) originem peteret, si quidem etiam correctiones $Δ_3$ ad archetypum ipsum recte rettulimus. At lectiones paucae illae, quibus Ε a Δ discedit, tanti non sunt momenti, ut ex librarii Ε oscitantia repeti nequeant; atque adeo nonnullae explanationem habent promptam ex codicis Δ lacunis aut scriptura singulari cf. XI 14 μάλιστα] άλιστα Δ (littera μ a rubricatore omissa) = κάλιστα Ε, XIV 97 αὐτοῖς ὠθήσεσθαι $Δ^a$ pr., αὐτοὶ σωθήσεσθαι corr. 3 = αὐτοὶ ὠθήσεσθαι $Ε^a$, XVII 35 προῃρημένων] προ + ρημένων (cum ras.) Δ = προειρημένων Ε etc. Itaque de codice Ε ex ipso Δ derivato me ante hos XII annos recte iam iudicavisse (codd. auctor. p. 28 sq.) etiamnunc contendo.

Praeter Δ Ε nullus exstat liber ex Γ profectus, qui orationes omnes aut plerasque servarit. Complures tamen insunt in codicibus Matrit. N 98 et Ottobon. 178 (recentissimo), qui ex illo videtur descriptus esse: scilicet or. X. XI. XII. IX. VIII. VII. ⟨XIII. III. add. Matrit.⟩ et epist. I. IX. VII. VIII. VI. IV. III. ⟨II. V. add. Matrit.⟩; videas etiam orationum inscriptiones singulares in his libris congruentes. Atque codex Matrit., quantum quidem ex paucissimis verbis in Iriartii catalogo enotatis cognosci potest, in orationibus plerumque a partibus codicis Γ invenitur (cf. III 22 εἰ δέ τις τῶν παρόντων ἔχει τί μοι συνειπεῖν, VII 22 ῥᾳδίως οἶμαι, VIII 69 om. καλοῖς, XI 54 ἀξίας ποιήσεις,

XIII 81 γενήσει), cum semel lectio vulgata deprehendatur XI 1 ὑμῖν τοῖς βασιλεῦσιν. Epistolae tamen contaminationem graviorem cum Φ redolent, cum et ordo et inscriptiones ad I. VI. cum Γ faciant (cf. etiam VII 24 παρακαταθέσθαι), inscriptiones vero ad II. V. et lectiones hae (ex catalogi loculis excerptae) II 14 οὕτως ἐμοὶ προσέχητε, III 19 om. ἤδη, V 13 καὶ εἴ του ἄλλου δέῃ παρ' ἡμῶν et ἐπίστελλε, VI 1 ἐπικινδύνου vulgatam sequantur memoriam. Neque aliter cod. Ottobon. se habere videtur, cum epistolae I. initium quidem puram fere Urbinatis memoriam mihi praebuerit (cf. § 3 ἀφέντες τάς, 4 πείσειεν ὅσον τ', ἂν μή τι τῶν etc.). In orationibus autem, quarum tres modo inspexi (VIII. X. XI.), Helena cum Urbinate necessitudinem prodidit contaminatione aliqua ex parte corruptam (contuli § 23—26: cf. 25 ἐξ ὧν ἤλπιζεν = Γ unc. pr., 26 om. καὶ τόλμῃ = Γ pr. etc.; contra 23 παραπλησίως = Λ, βίου τῶν = Θ Λ, 24 μῆλα τῶν = Θ Λ); at contra in orationibus ad Demon. et ad Nicocl. memoria Urbinatis loco omnino remota et vulgata restituta est: de qua infra verba faciam. — Similis est cod. Harl. 6301 orationes X. XI. XII. continens, in quo Nicocles solus cum Urbinatis memoria congruit, — praeter certissima codicis Γ vestigia e. g. § 22 καὶ οὐ μόνον ἐν = $Γ_4$ et varios librariorum errores in § 1/3 et 22/24 hanc solam lectionem vulgatam repperi § 22 προσάγεσθαι = Λ Π —, cum orationes duae priores X. XI. cum cod. Ottob. 178 ut videtur coniungendae vulgatam memoriam amplectantur, cf. p. LI.

Subiungam codicem Salmantinum 1—2—15, qui septem orationes (X. XI. XII. XIV. VIII. XIII. IX.) exhibens eodem ordine atque Λ Π, argumentis quoque ad X. XII. VIII. XIII. IX. receptis, cum Π videtur consentire. Textui tamen codicis Γ memoria aperte subest (e. g. cf. Helen. 26 οἳ τάχει καὶ ῥώμῃ διενεγκόντες et ὕστερον χρόνῳ, ad Demon. 35 ὅταν ὑπὲρ σεαυτοῦ), cui paucissimae lectiones vulgatae contaminatione immixtae sunt: quas omnes — a Gerardo Benito mihi traditas — hic exscribam in Helen. § 23/6: 23 ἐφάμιλλον, 24 ἀγαγεῖν, 25 μεγάλης ἀπορίας πάντας τοὺς et in Demon. § 34/5: 34 γνώμην αἰσθήσῃ, 35 πῶς περὶ τῶν αὐτοῦ, περὶ τῶν ἰδίων = Π; ultima orationis ad Nicoclem verba αὐτὰς ποιήσεις (sec. Miller) = Λ Π. — Ex codice Salmantino videtur derivatus esse cod. Toletanus 101—13 (recentior), quem quidem nisi ex Martini descriptione non cognovi. Sed tamen indoles codicis, qui orationes X. XI. XII. XIV. VIII. cum argumentis continet, plane eadem est, ut de necessitudine eius vix dubitari possit.

In cod. Palat. 304 sola Helenae laudatio traditur ex Γ depicta, quae a librario quidem pessime depravata nullum tamen vulgatae memoriae indicium praebet: contuli § 23/5, ubi e. g. videas 25 ἤλπιζεν = Γ unc. pr.

Restant codices nonnulli, qui ex Urbinatis memoria aut orationem ad Demonicum solam aut epistolas solas deprompserunt. Atque in libris illis, quae orationem ad Demonicum exhibent, — scilicet in codicibus Borbon. 96 (saec. XIV.), Vatic. 790 et 937, Laurent. LIX 37 (ubi accesserunt oratio c. sophist. et vita oratoris), Barocc. 33, Vindob. 296, quibuscum coniungendus est cod. Scaphus. 43 praeter Demoniceam undecim orationes continens pariter atque Λ —, sinceram vix exspectaveris memoriam, quoniam oratio illa a viris doctis assidue semper lectitata in summo depravationis periculo versata est. Sed tamen in cod. Vatic. 937 (contuli § 1—11) et Laur. LIX 37 (contuli § 1—4, 9/10, 34/35) initio quidem orationis vestigium contaminationis aegre repperi hanc lectionem ex Γ et Λ Π conflatam § 3 σὺ μὲν ἀκμὴν (ἀκμὴ Vatic. 790) φιλοσοφεῖν; contra ad Γ quadrat e. g. § 3 ἐπιχειροῦσι ⟨ποιεῖν⟩ = Γ_4. Plura in oratione procedente § 34/5 legi in Laurent. LIX 37 (§ 34 παράδειγμα = Π Σ Υ, παρὰ μὲν θεῶν = Λ, βούλει = Λ Π Υ, 35 τῶν ἰδίων = Λ Π, βουλεύσασθαι = Σ Υ), qui liber etiam in oratione c. sophist. (contuli § 1—5) hic illic vulgatas excepit lectiones: § 4 ποιήσειν τοὺς συνόντας colloc., 5 ὅτι παρ' ὧ δεῖ cf. Θ Λ, cum praeter alia hoc certissimum originis indicium exstet § 3 διὰ τῆς αὐτῆς ἐπιστήμης = Γ_4. Contaminationis fontem oratoris vita videtur indicare, quae ex alio libro (Π N) sumenda erat. — Artius inter se cohaerent codd. Borbon. 96 (collatae mihi sunt § 1—20), Vatic. 790 (contuli § 1—11, nonnullas alias lectiones a Buermanno excussas enotavi codd. auctor. p. 40), Barocc. 33 (contuli § 1—4, 35/8 et passim), Vindob. 296 (contuli § 1—10, 34/35), Scaphus. 43 (in oratione ad Demonicum sola, quam contuli totam), quorum origo e receptis Urbinatis correctionibus cognoscitur, quae alienae sunt a codicibus vulgatis: § 3 ἐπιχειροῦσι ⟨ποιεῖν⟩ = Γ_4, 6 ἐλυμήνατο = Γ_5, 9 ὑφίστατο = Γ_5 etc. Rarissima vero sunt contaminationis vestigia cf. § 1 ἅπας Scaphus. solus = Π, 2 πρὸς ἡμᾶς = Λ Σ, 11 ἐπιλείποι Vatic. Scaphus. = Π Σ etc., frequentes librariorum errores plerisque communes cf. § 10 τοὺς γένει (Barocc.?), 14 λήγεις (Barocc., Vindob.?), 29 βέλτιστα = Δ Ε (Vindob.?), 35 παροξυνθείης βουλεύεσθαι colloc. (Vatic.?) etc.

Epistolae denique solae ex Γ deductae sunt in codd. Vatic. 1353, 1448, Ottobon. 122 (cf. Ottobon. 178). Quos libros ex Γ

profluxisse ipso ex ordine epistolarum aequali cernitur, in Vat 1353 quidem leviter immutato (I; IX. VII. VIII. VI. IV; III. II. V: cf. cod. Matrit. N 98 ab eodem Lascari scriptum). Qui consensus etiam peculiari lectionis varietate probatur, quam — graviorem certe — ex epist. I § 1—5 exscriptam subiciam: § 1 σοι συμπλεύσας Vat. 1353, νῦν ⟨δ'⟩ ἀκμὴν Vat. 1448 Ottob. 122, 3 ἀφέντα τὰς (om. σε) omnes, 4 πείσειεν ὅσον τ' Vat. 1448 Ottob. 122 — Γ corr. rad., ἂν μή τι τῶν Vat. 1353 (Ottob. 178) cf. $Γ_3$, 5 μεγάλων] μεγίστων Vat. 1353. Unde codicem Ottobon. 122 recentissimum, qui plane eadem continet atque Vatic. 1448 (cf. Δ), ex hoc descriptum esse mihi persuasi. — Codex Vatic. 1347 postremo, qui unam epistolam ad Archidamum (III.) servavit (contuli § 1—7), non indignus videtur, qui breviter hic commemoretur, vel ob hoc quod epistola ad Archidamum ex illo primum ab Andrea Schotto depicta et a Davidi Hoeschelio edita est anno 1601 (cf. c. V). Schottus enim se epistolam illam ex Fulvii Ursini codice hausisse testatus est (p. 125); atqui liber Vatic., qui olim Ursini erat, non solum cum Γ (cf. § 2 τὸν λόγον τὸν = Γ corr. rad. Hoeschel, 4 πρὸς οἷς δ' = Γ Hoeschel, 5 μόνον ἀλλ' ἐξαριθμήσας colloc. cf. $Γ_3$ Hoeschel, 6 γιγνώσκω = Γ corr. rad. Hoeschel, 7 ῥηθησομένων = Γ Hoeschel), sed etiam cum Hoeschelianae editionis erroribus mire convenit (cf. § 1 γενήσῃ = Φ, 3 ὑπερεβάλλετο, 4 ὅλην τῆς πόλεως, ὑπὸ προγόνων, μετ' ὀλίγον, 6 om. ὄντας etc.).

Inter libros vulgatae memoriae, quorum numerus pergrandis est, **cod. Laurent. LXXXVII 14** = Θ certe undecim orationes suas solus fere tradidit, cum ex tota codicum Isocrateorum turba nullum ab eo originem petivisse nunc mihi constet. Praeter correctiones $Γ_4$ et $Γ_5$ enim solae quae vocantur copiae Victorianae ex parte ad eum referendae sunt, lectionis videlicet varietas a Petro Victorio in exemplari suo editionis Aldinae (1513), quod Monachii nunc asservatur in bibliotheca regia (A. gr. coll. 19 in fol.), margini annotata. Quam Baiterus parum diligenter olim excerptam publici iuris fecit in editione Panegyrici (1831 p. XII/XV), unde lectiones Victorianae apud criticos locum sat amplum obtinuerunt: praetermissas vero a Baitero hic addere nihil attinet. Postea ipse (codd. auctor. p. 56/59) illas e duobus codicibus — quod suspicatus iam erat Baiterus — haustas esse docui, quorum alter ad Panegyricum adhibitus videtur ipse codex Θ fuisse, alter ad alias quasdam orationes exscriptus ex

cod. Λ fluxisse, quoniam correctiones $Λ_4$ apud Victorium reperiuntur, cf. Nicocl. § 47, Philipp. § 36, 78, 110, 138.

Quo rarior autem codicis Θ, eo crebrior est **codicis Vatic. 65** = Λ propago, cui omnis prope codicum recentiorum grex ascribendus est. Etenim libri, qui orationes omnes aut plerasque continent — exceptis unis codd. ΓΔΕ —, ad codicem Λ vel ad archetypum eius redeunt universi, quo necessario paene factum est, ut longum per aevum librorum impressorum memoria codicem Λ sequeretur, dum Bekkerus Urbinatem adhibuit. Quos codices post Buermannum I p. 11/16 subtilius nunc tractaturi primum videamus, quomodo libros ex ipso codice Λ derivatos ab aliis vulgatis separemus, qui ex eodem fonte atque Λ originem traxerunt. Atque difficile non est diiudicare, utrum codex aliquis cum codicis Λ familia aliquo modo cohaereat necne, siquidem oratio de permutatione in Λ mutilata in eo exstat. At damnum illud non in libro Λ primum factum est, qui in scriptura continua f. 259b a § 72 ἀσκήσει ad § 310 Πολλῶν δ' transeat, sed iam in archetypo eius hoc loco quinque fere quaterniones videntur amissi esse. Quare lacuna illa de primo libri cuiusque fonte, utrum Λ fuerit an archetypus eius, certiores nos non facit. Etiam ordo orationum et corporis ambitus — in Λ solo servatae sunt orationes in Callimachum et contra Euthynum, cum epistolae in eo desint — ultra codicem Λ ad archetypum eius pertinent, ex quo codd. ΠΝ vitam quoque et argumenta orationum sumpserunt. Qua de causa librorum vulgatorum prolem ex ipso Λ ortam ex peculiari huius libri condicione dignoscamus necesse est. In quo genere momenti magni sunt primum quidem vita oratoris et oratio ad Demonicum maxima ex parte initio libri antiquitus iam amissae; deinde lacunae, quae in fine libri in oratione Callimachea extrema natae sunt membrana casu aliquo rescissa; scholia denique varia et correctiones manus praecipue quartae, quae plerumque ex libidine factae sunt. Damnum enim istud codici Λ iam saeculo XII. vel XIII. videtur illatum esse (cf. p. XIV/XV). Unde omnes libros illo tempore ex codice mutilato profectos vita Isocratis et oratione Demonicea carere in promptu est, praeter illos qui ex alio fonte eas rursus receperint, sicut in ipso Λ oratio ad Demonicum sola postea (saeculo XIII.) aliunde suppleta est. Libri autem cum Λ in rebus reliquis convenientes, qui sine vita oratoris orationem Demoniceam praebent, probabiliter ex ipso Λ iam refecto originem duxisse dicas. Quodsi correctiones codicis Λ respicis, caveas, ne omnes omnino in libris posterioribus

indagare velis, quia librarius recentior persaepe exempli sui emendationibus suo arbitratu usus est. Quare me codicis Λ indicium certum habere iudico, si correctiones eius vel omnes vel ex parte in libro recentiore investigavero.

Atque codicis Λ mutilati exemplaria plena fere et pura praesto sunt codices Laurent. conv. suppr. 84 (saec. XIV./XV.) et Urbin. 112 (saec. XV.), qui XIX orationes complexi et Demoniceam et Panathenaicum neglexerunt orationum ordine leviter immutato: orationes III. I. IV. VI. V. scilicet inter Areopagiticum et Philippum interpositae sunt. Orationis ad Callimachum pars extrema in Λ lacunis obscura praetermissa est inde a § 67 ἀλλ' ἀποφαίνοντες, quo in verbo codicis Λ lacuna prima se obtulit. Antidosis cum lacuna magna. Correctiones $Λ_2$ et $Λ_4$ in textu, in quo Phil. § 71/2, Callim. § 5 contuli. Inscriptio Philippi in utroque libro deest. (Buermannus I p. 12 codicem Laurent. Philippo carere iniuria statuit). — Plane eadem conditio est codicis Palat. 187 (cf. Buermann I p. 12) ab eodem Joanne Scutariota scripti, qui Urbin. 112 exaravit. Sed praeter orationes X. et XXI. etiam Antidosis in eo desideratur; Philippi inscriptio a manu posteriore addita est.

Adicio codices Marcian. 415 = Ξ et Lugduno-Batav. 29 (cf. Buermann I p. 15/16), qui argumentis destituti omnes codicis Λ orationes eodem ordine servant, Demonicea tamen inter Panegyricum et Helenam interposita velut in cod. Paris. 2930 = Τ. Unde orationem illam ex alio quodam fonte codici Λ mutilo additam esse suspiceris, quod probatur memoria Demoniceae leviter contaminata, quam ex codice Lugduno-Batavo quidem solo cognitam habeo (§ 1—5, 34/35), cf. § 2 πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας = ΓΠ, 3 σοὶ μὲν ἀκμὴ φιλοσοφεῖν = Γ, 34 παρὰ μὲν θεοῦ cum Τ, ibid. ἡμῶν αὐτῶν εὐβουλίαν cum Τ = ΓΠ, ὡσπερεὶ ἀλλοτρίου = Paris. 2991 A etc. Contaminatio levis etiam aliis locis conspicua est, cf. cod. Lugd.-Batav. apud Bergmannum XVIII 12 om. ἂν = Γ, 41 ἁπλῶς = Γ, 45 περί τε τὴν = ΓΘ + Λ (ci. Bl.) etc.; sed tamen de origine librorum dubitatio est nulla, cum correctiones $Λ_2$ et $Λ_4$ in textu eorum deprehendantur, cf. Phil. § 71/2. Notabilis est in extrema oratione Callimachea haec lectio: § 68 ἠδικηκότας ἐγένοντο Lugd.-Batav. = Λ] ἠδικηκότας ⟨τιμωρίας ἀφεῖναι κύριαι⟩ ἐγένοντο Marc. = Paris. 2931 et 2991; πεποιηκόσιν (lacuna: in Lugd.-Bat. capax 15 litterarum) ἄκυροι κατασταθεῖεν. Haud multo differt cod. Vatic. 2191, de quo inter libros contaminatos (p. LVIII) agam.

Alii libri tres inter se componendi sunt ex codice Λ iam expleco iterati: codd. Laurent. LVIII 12, LVIII 14, Paris. 2931 (cf. Buermann I p. 11), qui omnes orationes XXI eodem ordine habent atque Λ cum Antidosi manca. Correctiones $Λ_2$ et $Λ_4$ in omnibus. Atque codices Laurentiani in Callimacheae verbis § 67 τοῦ δικαίου ζητοῦντες (sicut Laur. conv. suppr. 84 et Urb. 112), Paris. 2931 paulo infra in verbis ὡς οὐδὲν ἀδικοῦμεν deficiunt. Finis autem orationis illius in Laur. LVIII 12 a manu recentiore, in Paris. 2931 ab ipso librario postea (atramento pallidiore) adiectus est. Quo in libro Parisino codicis Λ lacunae § 68 iam expletae sunt verbis illis, quae in editiones vulgatas recepta sunt: ἐμμένοντες καὶ γὰρ et ἠδικηκότας ⟨τιμωρίας ἀφεῖναι κύριαι⟩ γένοιντο, cf. Paris. 2991. Atque etiam eiusdem codicis in Callim. § 5 memoria lectionem editionum vulgatarum explicat: δὲ αὐτοῦ ἀφελέσθαι αὐτὸ ἄν· φίλον (unde ἄμφιλον Laur. LVIII 12; ἄν et alterum αὐτὸ om. Laur. LVIII 14) ἔφασκεν αὐτὸ καταλιπεῖν.

Subiungendus est liber paulo vetustior cod. Palat. 135 (saec. XIV., saec. XIII./XIV. secundum Stevenson; cf. Buermann I p. 11/12), qui orationes XXI omnes exhibens ordinem septem priorum paululum immutavit: VIII. XIII. IX. ante XI. X. XII. XIV. collocatae sunt. Correctiones et scholia varia codicis Λ in eo exstant (cf. Callim. § 5), ut de archetypo eius dubitatio esse nequeat. Scholiis tamen codicis Λ a librario ascriptis ab alia manu addita sunt alia recentissima permulta, de quibus in c. VI. pauca disputabo.

Ceteri codices, qui puri vel puri fere ex Λ emanaverunt, partem tantum orationum servaverunt, inter quos numerandi sunt primi; codd. Canonic. 87 (saec. XIII./XIV.) et ex eo descriptus Monac. 224 (saec. XV., cf. Buermann I p. 13), cuius lectiones ex editione Langiana petas. Codicem Monacensem autem ex ipso Canoniciano fluxisse et ex subscriptionibus et ex memoria congrua conicias, cum codicis Canonic. lectiones correctae ex parte quidem in Monac. reperiantur, e. g. cf. IX 6 ὁ μὲν ἂν ad εἰθισμένων om. Canon. pr. Monac.] in mg. add. Canon. 2; οὐδ᾽ Canon. pr. Monac.] ὁ δ᾽ corr. Canon. 2: σεμνήνεσθαι Canon. Monac. pr.; ὑπ᾽ αὐτῶν . . . ἐγκομιαζομένοις uterque; XI 4 ἐπιεικῶς] ἐποιηκῶς Canon. pr., ει s. v. 2 = ἐποιεικῶς Monac.; 20 πράξειν παρὰ Canon. pr. Monac.], τι s. v. add. Canon. 2 = Π; 21 οἴκων τῶν ἰδίων Canon. pr. Monac.] ἰδιότων in mg. Canon. 2 = Π; XII 22 ἐκπριάσθαι om. Canon. pr., in mg. add. 2 = Monac. in mg.; τοὺς δὲ ταῖς ἄλλαις θεραπείαις προσέχεσθαι om. Canon. pr.

Monac.] in mg. add. Canon. 2. Uterque liber XIV orationes largitur ordine a Λ aliquatenus diverso, cui tamen codicis Λ series aperte subest: X. XI. XII.; XIII. (XIII. XII. Monac.) IX. VIII.; VII. XV. XVIII.; I. III.; XVII. XXI. XIV. — Haud multo distat cod. Estens. 130 (saec. XV.), qui earundem XIV orationum ordinem magis etiam inversum praebet orationibus XIV. VIII. inter X. et XI. interiectis. Porro huc pertinet cod. Vatic.-Regin. 93 (saec. XV., cf. Buermann I p. 13), qui easdem orationes tenet omissa tamen Demonicea et ordine gravius etiam turbato: conveniunt autem orationes XV. XVIII. et XVII. XXI. coniunctae. — Qui codices omnes, ex quibus contuli c. Euthyn. init., c. Lochit. § 17, Busir. § 6, Areopag. § 62/64 et 82, Panath. § 133, cum codicis Λ correctionibus 2 et 4 prorsus consentiunt, cum lectiones memoriae variae (ΠΣ) vix uno alterove loco in orationibus prioribus exstent. In quibus codicem Canon. permultis locis inspexi, cum in libro saec. XIII./XIV. codicis Λ nondum mutilati memoriae me occursurum esse sperarem: sed spes me fefellit.

Pauciores etiam orationes e codicis Λ memoria sincera leguntur in codd. Scaphus. 43 ([X. XI.] XII. XIV. VIII. XIII. IX. VII. XV. XVIII. XX. XVII.), Laurent. IV 24 (X. XI. XII. VIII. XIII. IX. VII. XV. VI. III. I., cf. Λ), Oxon. miscell. 315 (XIII. X. VII. XI. XIV. XII.), Laurent. conv. suppr. 83 (X. XI. XII. VIII. IX.), Paris. 3024 (X. XI. XII. VIII.), Burn. 85 (X. XI. XIII. VIII.), Vatic.-Barber. I 82 (VIII. XIII. IX.), Vatic. 64 (VIII. XIII.), Vatic. 1392 (XI. XII. VIII.), Harl. 6301 (X. XI., [XII.] cf. p. XLV), Iustinopol. ([X.] XI. XII. cf. p. LIV), Harl. 5609 (XI. XII.), Monac. 313 (XI. et excerpta ex XVII., [X.] cf. p. LXII), Bergom. Δ VI 29 et Raudnic.-Lobcov. VI F e 44 et Burn. 87 (XI.), Vatic.-Barber. I 116 (XIII.), Paris.-Mazarin. 4457 (VII.), Matrit. O 97 (XXI.), Vallic. 25 (I.), Vatic. 2226 (IV., cf. Philolog. 1896 p. 663), qui omnes excepto codice Vatic. 64 anni 1270 (contuli VIII § 23/26) recentes sunt scilicet saec. XV. aut XVI. Atque in codice Scaphus. 43, — qui tamen orationem ad Demonicum ex memoria codicis Γ (cf. p. XLVI), orationem ad Nicoclem ex memoria codicis Π deprompsit (cf. p. LIV) —, et in Laur. IV 24, qui plurimas orationes complectuntur (10 et 11), connexus cum Λ et orationum ordine et correctionibus $Λ_4$ plerumque receptis aperte proditur (in Scaphus. contuli XII § 1/21, XVII § 1/56; in Laur. excussi c. Loch. § 17/18, Aegin. § 5, Euagor. § 31). Etiam ceteros libros, qui codicis Λ memoriam (cum correctionibus manuum 2 et 4) non deserant, — selectas orationum lectiones vel

partes in omnibus examinavi —, ex ipso codice Λ originem traxisse pro certo ponamus, etsi ex orationum ordine de memoriae fonte nihil efficiatur. Atque lectionibus quibusdam singularibus necessitudinem quandam produnt codices Laur. conv. suppr. 83 (contuli X 9/17, 34/35, XII 2/4, VIII 23/26) et Paris. 3024 (contuli X 1/4, 34/36, VIII 23/24), qui easdem fere orationes (5 et 4) habent annexa Basilii adhortatione ad iuvenes: cf. ad Demon. § 34 ἀλλοτρίου πράγματος = Scaphus., 35 ὅταν ⟨δὲ⟩ ὑπὲρ = ϛ (item in cod. Smyrn. B 48 saec. XVIII.). Eadem Basilii admonitio in codd. Iustinopol. et Harl. 5609 (quos artius inter se cohaerere facile statuas) et in Vatic.-Barber. I 82 exstat. Nonnullis libris etiam rarissima alterius recensionis (Π) vestigia contaminatione videntur impressa esse, cum mendis quibusdam peculiaribus cum aliis codicibus conveniant, cf. Oxon. misc. 315 (contuli X 1/4, 27/28, XIII 6, 31, 62, 80/1, XXI 48, 189): X 1 ἂν ἅπας αἰών = Π Harl. 6301, 3 λόγους[β] συγγράφουσι[α] = συγγράφουσι λόγους Harl. 6301, 27 κτῆσθαι δυναμένοις = Canon. 87 (ceterum in Oxon. manus prima codicis Λ nonnunquam servata est, cf. XIII 6, 31 ult.); in Harl. 6301, in quo Nicocles Urbinatem sequitur (contuli X 1/4, XI 1/3): X 4 τὸ κάλλιστον τῆς φιλοσοφίας: in Laur. conv. suppr. 83: X 10 φιλόκαλός ⟨τε⟩ = Π (Smyrn. B 48); in Iustinopol. (contuli XI 1/7, 45/54, XII 1/4 et passim): XI 13 βασιλεύοντα . . διοικήσαντα = Π, 48 πρώτως = Π, XII 1 βουλευομένους = Π (Scaphus. Harl. 5609); in Harl. 5609 (contuli XI 1/4, XII 1/4): XII 1 ποιῆσθαι = Scaphus., 4 τοὺς ἀπαντῶντες = Scaphus.; in Mazar. 4457: § 21 ῥητορείαν = Γ Θ, σωφροσύνην ἂν καὶ δικαιοσύνην ἂν = Γ+Λ, 22 διαβάλλειν cf. Λ. Ceterum accuratius de his libris, quos contaminatos appellare vereor, deque librariorum oscitantium erroribus referre nihil interest, cum lectiones exscriptae codicum indolem satis patefaciant. — De uno codice Vallic. 25 (orationis πρὸς Εὐθύνουν ἀμάρτυρος solius) videtur commemorandum esse, inter codicis Λ memoriam nonnullas apparere lectiones a serioris aetatis viris doctis inventas, quae in editionibus principibus leguntur, cf. § 1 ἀπορῶ = Ald. sq., 2 συμβόλαιον αὐτὸ = Med. Ald., οὑτοσὶν = $Λ_4$ ϛ, μετὰ πεισάνδρου (sic!) = Wolf. sq., ἐνέγραφον (?) recte = Cor. sq., 4 τἀληθῆ = Wolf. sq., 5 δὴ οὖν ἅπαντας cf. Wolf., ἧττον = Med. sq., 6 δ᾽ ἐγκαλοῦντες = Med. sq.: unde librum hunc saeculi XVI. ex editione quadam impressa, quam inquirere nihil interest, originem traxisse probabiliter ponas.

Ex eodem archetypo atque *Λ* originem duxere **codd. Paris. 2932** = *Π* et **Laurent. LVIII 5** = *N*, qui in universum inter se conspirantes nonnunquam varias praebent lectiones, ut alter ex altero descriptus esse nequeat: quod Buermannus I p. 10/11 argumentis ad orationes contra sophistas et de pace collatis illustravit. Ne ad codicem *Λ* quidem nondum mutilatum hi libri referri possunt, qui et orationum argumenta — quae *Λ* nunquam habuit — soli tradiderint et hic illic verba in *Λ* vel a librario omissa vel casu amissa cum *ΓΘ* retinuerint (cf. Philipp. § 43, 71/2, 104, 110 apud Buermannum I p. 16 sq.). Lectionis autem varietate ad Philippum perlustrata praeter generalem codicum *ΛΠ* concentum nonnullas lectiones reperias, quibus *Π* cum *Θ* contra *Λ* facit, atque raras etiam, quibus *Π* codicis *Γ* solius memoriam amplectitur (cf. § 31, 46, 53, 70, 72, 74, 76, 95/96, 102, 108, 110, 130, 150), qui consensus ex archetypi memoria leviter contaminata facillime explicatur (cf. § 95 δεκαδαρχίας, 102 σοί, 110 διάγοντα?, 130 αὐτήν μοι colloc.). Paucissimi vero sunt loci vel potius nulli, quibus cod. *Π* praeter librariorum errores memoriae *ΓΘΛ* novi quid addat: nam unum hoc in Phil. § 115 ῥᾶον *Π*] ῥᾴδιον *ΓΘΛ* coniecturae videtur impertiendum esse. Quare cum in iis orationibus, quae in *ΓΘΛ* supersunt, codices *ΠN* securo missos facere possimus, in orationibus ad Demonicum, ad Nicoclem, Nicocle, de pace tamen, quae in *Θ* desunt, unum codicem *Π* praeter *Λ* adhibendum esse duxi. Codex *N* enim — praeter vitam et argumenta in eo quoque excutienda — prorsus neglegi potuit, cum librariorum socordia foedissime vitiatus (cf. Buermannum l. l.) codicis *Π* memoriam nullo modo aequiperet neque ullum prae *ΛΠ* pondus habeat.

Alios quoque libros nonnullos, recentissimos omnes, qui cum *ΠN* necessitudine coniuncti sunt, diligentius non respexi, quamquam ex eodem archetypo fortasse contaminato deducti sui iuris videntur esse: quod sine damno fieri potuit, quoniam apparatus criticus lectionis varietate plane sterili recepta praeter necessitatem oneratus esset. Inter quos libros plures orationes exhibent codd. Vatic. 1383 (X. XI. XII. IX. VIII. cum argumentis in fine libri additis, cf. Buermann I p. 11), Casanat. 483 (X. XI. XII.), Oxon. miscell. 189 (VIII. XII. XI. XIII. mutilas), quorum memoria generaliter quidem cum *Π* congruit, frequentius autem librariorum incuria corruptionem passa est. Atque in codice Vatic. (contuli X 9/10, XIII 5/7), qui presse fere codicem *Π* sequitur, vestigia rara codicis *Γ* (X 4 om. μόνον sec. Buermannum) vel *Λ* (XIII 6 ὑπερβάλληται, ᾗ ⟨τι⟩ τούτων) con-

spiciuntur. Codex Casanat. (contuli X 1/5, 9/11, 34/35, XII 2/4, 63/64) paucas lectiones cum Λ contra Π communes habet (X 2 πρὸς ἡμᾶς, 9 om. σοι, 10 om. πάντας, 34 σεαυτόν, XII 63 χρόνῳ) pariter atque cod. Oxon. misc. 189, in quo (contuli XII 14/22) haec inveni cum Λ convenientia § 16 καὶ μὲν εἰ δεῖ, 21 μέγιστον ⟨πάντων⟩. Nihilominus de codicum cum ΠΝ cognatione dubitari non potest, quae quidem accuratius definiri nequit, cum vetustius huius memoriae exemplum nullum teneamus. Universam vero huius memoriae indolem in Helenae § 23/29 intellegas ex cod. Oxoniensi excussis, quarum varietatem a ΘΛ plenam hic reddam: § 23 ἔχω . . . εἰπεῖν = ΓΘ; παραπλησίως = Λ; γὰρ = ΓΘ; ἐπιθυμίας εἶχον; κατέστησαν = ΓΛ; 24 τὸν μὲν τοῖς ἕλλησιν οἰκειοτέρους καὶ ὠφελιμωτέρους τοὺς κινδύνους ποιήσασθαι, τὸν δὲ ὀνομαστοτέρους; ἔμελλεν = Θ; ὠφελήσειν = ΓΘ; 25 προειρήτο; καὶ τὸν] om. καί; ἀνεθέντα] ἀθέντα; τήν τε χώραν; 26 om. καὶ τόλμῃ = Γ pr.; 27 τὸ τέρας habet = ΓΛ; ᾧ κατὰ om. in lac. 5 litter.; πανδημεὶ = ΓΘ, 29 παύσασθαι παραλείπειν (om. καί).

Nonnulli denique huius recensionis exstant libri orationes aut ad Demonicum aut ad Nicoclem solas continentes: Demoniceam videlicet codd. Paris. 2596 (saec. XIV.), Vatic.-Barber. I 12, Iustinopol. (cf. p. LII), Laud. 16, Parmens. H. H. IX. 69; Nicocleam Paris. 2678, cf. Scaphus. 43. Atque in oratione Demonicea codicis Π memoria praeter librarii errores quosdam admodum pura est in cod. Iustinopolitano (contuli § 1/12, 33/36 et passim; orationes XI. XII. in eo = Λ), in quo codicis Λ vestigia rarissime deprehenduntur, cf. § 1 κατασκευαῖς pr. = Π, in mg. συνηθείαις pr. = Λ; 33 γὰρ ὃν et τούτῳ τοῖς, 40 δύνῃ τὰ δόξαντα. Paulo altius progressa est contaminatio in codd. Paris. 2596 et Vatic.-Barber. I 12 artius inter se coniungendis, cum praeter codicis Π varietatem in § 1/10 haec habeant notabilia: § 1 συνηθείαις = Λ, 2 πρὸς ὑμᾶς (ἡ s. v.) Paris. solus; πρὸς ⟨τὸν⟩ ἱππόνικον cf. Vindob. 296; 4 περὶ τό γε colloc.; ἐν τοῖς λόγοις = Λ; 9 οὐ γὰρ Paris. solus = Λ; ἐγύμνασε; 10 ἦν ⟨τε s. v.⟩ καὶ Paris solus. Cod. Parmens. in § 33/34 codicis Π varietatem integram exhibet, cum cod. Laud. 16 (contuli § 1/9, 27/29) paulo distet mendis quibusdam gravioribus librariorum neglegentia illatis, cf. § 2 ἀπέστειλα, 5 ταύτην τοῦ βίου colloc., 28 κτῆσθαι δυναμένους cf. Canon. 87. — In oratione Nicoclea codex Paris. 2678 (contuli § 1/14) cognationem cum Π universa verborum congruentia aperte ostendit, quamquam raras codicis Λ lectiones (§ 2 ἐγὼ δ' ἡγησάμην ἂν ταύτην = Λ, Scaphus., 8 ὑπ'

αὐταῖς ὄντας = Λ) atque saepius etiam menda peculiaria praebet, cf. § 1 om. εἶναι; καὶ ⟨τὸ⟩ πολύ: 2 ὁρίσαι ⟨καὶ⟩ ποίων: τὸ μὴ] om. τό: 4 γενόμενοι = Scaphus.; 9 συμπεριλάβωμεν: 13 καὶ τοὺς ἄλλους οὕς. Quocum componendus est cod. Scaphus. 43 in oratione Nicoclea sola familiae Π memoriam amplexus, cum in Demonicea Urbinatem, in ceteris orationibus decem codicem Λ sequatur: quod cum accuratius iam exposuerim codd. auctor. p. 53/54 (cf. supra p. XLVI et LI), lectionum farraginem repetere hic nolui.

Haud exiguus rursum est numerus **codicum graviter contaminatorum**, qui ex Λ derivati contaminationem cum familiae ΠN potissimum memoria passi sunt. Qui libri — recentes omnes — plerumque eo facillime dignoscuntur, quod cum codicis Λ memoria (receptis etiam codicis illius correctionibus et scholiis) orationum quarundam argumenta (ex ΠN petita) copulant, quae in Λ nunquam exstiterunt. Quos codices caveas ne ad codicis Λ archetypum redire statuas, cum in nullo vitam oratoris habeamus, quam in Λ olim fuisse putandum est. Immo eos ex Λ iam mutilato originem traxisse ultro apparet, cum dux eorum, cod. Paris. 2930 = *T*, omnes codicis Λ orationes eodem ordine servaverit (Antidosim cum lacuna magna), oratione Demonicea tamen inter Panegyricum et Helenam interposita pariter atque in Marc. 415 et Lugd.-Batav. 29. Atque cod. *T* praeter scholia varia ex Λ descripta, — quae Dindorfius ad scholia Isocratea emendanda adhibuit (cf. Buermann I p. 13/15) —, argumenta praebet orationum septem: Euagorae (in mg.: cf. Dindorf p. 121 τριῶν προοιμίων κτέ), c. sophist., Plataic., Areopag., Philipp., de pace, Archid. (in mg.). — Etiam in cod. Paris. 2991 omnes codicis Λ orationes exstant (Antidosis manca) ordine quidem octo priorum inverso, quibus adiecta sunt argumenta orationum octo: c. sophist. (in mg.), Busir. (in mg.), Euagor. (in mg.: sicut in *T*), Plataic. (in mg.), Areopag., Philipp., de pace, Archid. — Annumerandi sunt codd. Paris. 2990, Laurent.-Riccard. 12, Cremon. 160, quorum prior orationes quindecim (VII. XV. XVIII. XX. XVII. XVI.; V. VI. II.; XI. XII. VIII. XIII. IX. XIV. cf. Λ) cum argumentis septem: ad Plataic., Areopag., Philipp., de pace, Archidam., Euagor. (in mg.: sicut in *T*), Busir., alter orationes novem (XIV. VIII. XIII.; VII.; XX. XVII.; XI.; III. I. cf. Λ) cum argumento ad orationem de pace et brevi enarratione ad orationem c. sophist. (consuta ex argumento codicis Π), tertius orationes septem

(XI. XII. XIV. X. VIII. XIII., XX. mancam: Demoniceam inter Panegyricum et Helenam sicut in *T*) cum argumento ad Philippum et scholiis raris exhibet.

Quibus de libris ut certius indicarem, in *T* orationes in Callimachum et contra Euthynum excussi integras, inspexi praeterea ad Demon. § 33 sq., Areopag. § 38, 82/4, Philipp. § 71/3; in Paris. 2991 consului in Callim. § 5, 67/8, ad Demon. § 34 sq., Philipp. § 71 sq.; in Paris. 2990 Helen. § 23/5, Euagor. § 31/2, Areopag. § 38, 82/3; in Laur.-Riccard. c. Lochit. § 17, Philipp. § 71/2; Cremonensis libri v. d. Baromelli lectiones ad Demon. § 1/4, 34/35, Helen. § 23/26 mecum communicavit. Neque tamen novi quidquam nanctus sum, cum hi libri praeter argumenta, quae in *T* memoriam a *ΠΝ* paulo diversam servant, incorrupti paene cum *Λ* consentiant, cuius correctiones 2 et 4 omnes ferme in textu recurrunt. Accedit quod in codice *T* non solum scholia codicis *Λ* varia accurate exscripta, sed etiam lacunae in extrema oratione Callimachea a librario diligenter expressae sunt, cf. § 67/8 ἀδικοῦμεν τοῖς ὅρκοις (scriptura continua); ἐμμένοντες (lac. 9 litter.) ἂν εἴη: ἠδικηκότας [. . . . . ἐγένοντο: πεποιηκόσι (lac. 13 litter.) ἄκυροι. Contaminationis vestigia in textu (praeter Demoniceam) rarissima sunt, e quibus luculentissimum in *T* hoc enotavi ad Demon. § 43 ἡ φύσις ἀπένειμεν om. pr. (= *Λ*), in mg. add. 1 (= *Π*). Ceterum in oratione Demonicea (inter Paneg. et Helen.) codd. *T* et Cremon. artius connexae sunt, cf. § 34 παρὰ μὲν θεοῦ; ἡμῶν αὐτῶν εὐβουλίαν = *ΓΠ*; 35 περὶ τῶν ἰδίων *T* = *Π*, ὑπὲρ τῶν ἰδίων Cremon. = *Λ*, cum orationis initium, quod in *T* non inspexi, in Cremon. haec habeat notatu digna: § 2 πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας = *ΓΠ*; 3 ἐπιθυμεῖς] ἐπιχειρεῖς; σοῦ (!) μὲν ἀκμὴν φιλοσοφεῖς: δόξουσι = *ΓΠ*; λόγον ⟨μόνον⟩ et δὲ ⟨καὶ⟩ τὸν = *ΛΠ*.

Etiam in Paris. 2990, qui librariorum erroribus scatet, praeter argumenta nullum contaminationis indicium inveni, cum correctiones codicis *Λ* pleraeque in eo legantur nonnunquam coniectura commutatae, cf. in Callim. § 5 δὲ αὐτοῦ ἀφελέσθαι αὐτὸ φίλον (cf. Laur. LVIII 14) ἔφασκεν αὐτὸ καταλιπεῖν, ὥστε δεῖ δημόσιον γίνεσθαι αὐτῷ (= ϛ); Areopag. § 38 δοκιμασίαν ταύτην καθισταμένων ex δοκιμασίαν ταύτην καθημένων $Λ_2$; 82 μὴ κοινωνεῖν (= *T*) ex μὴ κινεῖν $Λ_1$ (μὴ κρίνειν *Λ* pr.). Orationis de pace inscriptioni hoc scholion a $Λ_3$ profectum adhaeret τὸ προοίμιον ἐκ περιουσίας· ἐπιχείρημα ἀπὸ τοῦ πράγματος. Lacunae vero in extrema oratione Callimachea paulo aliter indicatae aut expletae sunt atque in *T*: § 67/8 ἀδικοῦμεν ⟨εἰ τῷ

(lac. 5—6 litter.) καὶ) τοῖς ὅρκοις: ἐμμέν⟨ομεν· οἷς οὐκ⟩ ἂν εἴη: ἠδικηκότας (lac. 8 litter.) ἐγένοντο, unde hanc fortasse archetypi lectionem elicias: οὐ πλέον ἔχειν τοῦ δικαίου ζητοῦντες, ἀλλ' ἀποφαίνοντες μόν(ον?), ὡς οὐδὲν ἀδικοῦμεν, ⟨εἰ τῷ νόμῳ καὶ⟩ τοῖς ὅρκοις καὶ ταῖς συνθήκαις ἐμμένομεν. Ac tamen codicem Paris. 2990 ex Λ iam mutilato, quocum lectio illa pugnat, fluxisse elucet, praesertim cum in eo etiam oratio ad Demonicum desit (cf. codd. Laur. conv. suppr. 84, Urbin. 112). Ex Helen. § 23/5 notandae sunt lectiones: 23 κατ' αὐτὸν τὸν colloc.; δόξαν τῇ ἐκείνου; 24 διενεγκεῖν καὶ = Cremon.; αὐτὸς κινδυνεύειν = Cremon.; 25 προείρητο = προηρῆτο Cremon.

Aliter atque cod. *T* in oratione Demonicea codex Paris. 2991 contaminationem prodit, cum praeter nonnullas codicis *Π* lectiones alias paucas exhibeat a *Λ* et *Π* alienas, cf. § 34 παράδειγμα = *Π Σ Υ*, ταχίστην] πλείστην, ἡμῶν αὐτῶν] om. αὐτῶν, 35 περὶ τῶν ἰδίων = *Π*, 40 τὰ συμφέροντα pr., in mg. γρ. μέλλοντα pr. Sed cum ex his orationem illam ex cod. Λ nondum mutilato ductam esse suspiceris, orationis Callimacheae conditio rursus archetypum mancum et correctione iam inquinatum demonstrat, cf. § 5 λαβόμενος δὲ αὐτοῦ (om. ἀφελέσθαι αὐτὸ ἀμφίλοχον) ἔφασκεν αὐτὸ καταλιπεῖν· ὥστε δεῖ δημόσιον γίγνεσθαι αὐτό: 67/8 ἀδικοῦμεν τοῖς ὅρκοις: ἐμμέν⟨οντες καὶ γὰρ⟩ ἂν εἴη: ἠδικηκότας ⟨τιμωρίας ἀφεῖναι κύριοι⟩ ἐγένοντο: πεποιηκόσιν (lac. 20 fere litter.) ἄκυροι = ϛ.

Quocum cod. Laurent. LIX 24 consentit, qui quattuor orationes complexus (Antidosim cum lacuna magna, de bigis, Trapezit., in Callim.) in Callimachea haec habet: § 5 λαβόμενος δὲ αὐτοῦ (lac. 9—10 litter.) ἔφασκεν αὐτὸ καταλιπεῖν, ὥστε δεῖ δημόσιον γίγνεσθαι αὐτό; 67/8 ἐμμέν⟨οντες καὶ γὰρ⟩ ἂν εἴη: ἠδικηκότας (lac. 12—14 litter.) ἐγένοντο: πεποιηκόσι (lac. 16—17 litter.) ἄκυροι. Correctiones $Λ_2$ et $Λ_4$ in textu, cf. etiam Antid. § 321 ἱκετεύοντας καὶ δεομένους ⟨καὶ⟩ τοὺς παῖδας τοὺς φίλους ex $Λ_2$.

Praeterea huc referendi sunt libri, ex quibus editiones principes Mediolanensis 1493 et Aldina 1513 expressae sunt, quod paucis Buermannus iam docuit (I p. 14/15). In editione Mediolanensi enim orationibus XXI ex Λ haustis (ordine leviter immutato) adiecta sunt argumenta tria ad Philipp., de pace, Archid., quibus in editione Aldina quartum accessit ad Busiridem. Atque editiones illas ex ipso codice Λ originem duxisse vel inde apparet, quod libri illius correctiones pleraeque in editionum textu reperiuntur. Paucae vero lectiones vel cum Λ pr. (cf. IV 44, VI 42/3, VII 12, VIII 16, XI 24, 47,

XIII 26 etc.) vel contaminatione cum Π faciunt, atque raro editionum inter se diversa est ratio, siquidem altera cum hac memoria, altera cum illa congruit, cf. IV 19 καὶ ὅτι κατελθεῖν ad ἐπεθύμει (homoeotel.) om. Med. sola; XI 24 Med. = Λ pr. Π, Ald. = $Λ_4$, item XX 110; 28 Med. = Π, Ald. = Λ; 31 Med. = Π, Ald. = Λ; 54 Med. = Γ, Ald. = Λ; XII 2 Med. = Π, Ald. = Λ, item 14, 30 etc. Quo editionem Aldinam quoque novis codicum subsidiis arcessitis (cf. argum. ad Busir.) paratam esse declaratur. Verum tamen in ambabus tanta est lectionum peculiarium consensio — quam exemplis firmare longum est —, ut eas ad diversos codices prototypos revocare verear, Mediolanensem editionem potius ex codice quodam correctam Aldinae exemplar fuisse opiner.

Artissimis cum editione Mediolanensi vinculis ligatus est cod. Vindob. 3 (contuli in Callim. § 5, 68, Areopag. § 36/7, 82, Philipp. § 71/4), qui plane eadem continens circiter iisdem temporibus videtur exaratus esse in usum Andreae Matthaei Aquavivae ducis Adriae (oppidi videlicet quod nunc vocatur Atri in regno Neapolitano). Qui vir bellicosus et doctus (natus anno 1466) postquam circa annum 1504 urbis regimine depulsus est, totum artibus liberalibus se dedit et anno 1528 e vita decessit. Angelum Constantinum vero librarium codicis illius (cf. subscriptionem) anno 1523 codicem Neapolitanum III D. 12 Alexandri Aphrodisiensis exaravisse scimus. Qua ex temporum ratione cod. Vindob. splendidissimus ineunte iam saeculo XVI. videtur confectus esse, ut eum ex ipsa editione principe depictum esse veri sit simillimum, quacum ad litteram prope concinit. Quartus autem indictionis annus in subscriptione nominatus aut ad 1486 aut ad 1501 aut ad 1516 referendus est.

Pauci denique in hunc numerum cadunt libri, qui argumentis quidem destituti memoria ipsa contaminationem prae se ferunt. Inter quos amplissimus est cod. Vatic. 2191 decem orationes continens illas, quae in Λ priores sunt, Nicocle tamen post Areopagiticum addito (X. XI. XIV. VIII. XIII. IX. VII. XV. XVIII.; XII.). Ceteri minoris sunt ambitus, cum Harl. 5660, Laurent. LVII 29, Ambros. N 269 sup. tres admonitiones solas (hoc ordine XI. X. XII. in Harl. 5660), Estens. 75 et Oxon. colleg. novi 254 orationes duas ad Demonicum et ad Nicoclem solas tradiderint. Atque cod. Vatic. 2191, quem passim examinavi, in universum (etiam correctionibus 2 et 4 receptis) cum Λ congruit, ex quo sine dubio originem duxit. Quare facile eum cum cod. Lugdun.-Batavo 29 (cf. p. XLIX) comparare possis, qui

liber etiam contaminatione levi passim conspicua consimilis est. At cod. Vatic. in oratione quidem Demonicea a parte codicum gravius contaminatorum (*Γ*, aliorum) invenitur, cf. § 34 παρὰ μὲν θεοῦ = *Γ*; δὲ ἡμῶν (om. αὐτῶν) pr., corr. 2; ἀλλοτρίου πράγματος = Scaphus. etc.; alia in hac oratione correxit manus secunda ex memoria Urbinatis, cf. § 9 γρ. ὑφίστατο in mg., 25 γρ. βασανίζομεν in mg. etc. Verborum collocatio vero § 3 συγγράφουσι λόγους recurrit in Laur. LVII 29, Estens. 75, Ottobon. 178 (cf. etiam Oxon. misc. 315, Harl. 6301: p. LII; Paris. 2557 et 2933: infra p. LXI), qui libri codicum *Λ* et *Π* memoriam ex aequo paene commixtam, immo verba codicis *Π* hic illic pura fere proferunt, ut de primo eorum fonte vix constare videatur. Atque in Laur. LVII 29 (contuli X 1/10, 34/35, XI 1/4, XII 2/4) videas haec a codice *Λ* discrepantia in X 34/5: παρὰ μὲν θεοῦ = *Γ*: δὲ ἡμῶν (om. αὐτῶν) cf. Vatic. 2191, Palat. 132 cett.: p. LXI; παρρησιάζεσθαι = *Π*: ἀλλοτρίου πράγματος = Scaphus.; καὶ σαυτὸν et 35 πρότερον et περὶ τῶν ἰδίων et ὑπὲρ τῶν ἀλλοτρίων = *Π*. Cum codice Estens. 75 autem (contuli X 1/8, 34/5, XI 52/4) cognationis vinculis videtur coniunctus esse Oxon. colleg. nov. 254 (X 1/5, 34/35, XI 1/4 in meum usum contulit H. E. Butler), cf. lectiones congruas a *Λ* differentes: X 1 ἅπας = *Π*: 2 πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας = *ΓΠ*; 4 (τὴν ἐν τοῖς λόγοις δεινότητα Oxon.); δόξουσι = *ΓΠ*; 5 om. ἐστιν = *Π*: 34 παρὰ μὲν τῶν θεῶν = *ΓΠ*; δὲ ἡμῶν: om. αὐτῶν Estens. pr., in mg. add. 2 = δὲ ἡμῶν αὐτῶν Oxon. = *ΓΠ*; (παρρησιάζεσθαι Oxon. = *Π*: σαυτὸν Estens. = *Π*; 35 περὶ τῶν σαυτοῦ Estens. cf. *Π*); πρότερον et περὶ τῶν ἰδίων = *Π*; (ὑπὲρ τῶν ἀλλοτρίων Oxon. = *Π*), cum in Estensi semel contaminatio cum *Γ* postea facta emineat § 35 συμβουλεύεσθαι pr., γρ. συμβούλῳ χρῆσθαι in mg. 2. Itidem in Harl. 5660 (contuli X 1/12, XI 1/4, XII 2/3) nonnullae codicis *Π* lectiones ex archetypo contaminato apparent, cf. X 1 ὁ πᾶς pr., ἅπας (= *Π*) in mg. pr., 12 ἡμετέροις πόνοις pr., συμμέτροις (= *ΓΠ*) in mg. pr., cum orationes Nicocleae in eo sicut in omnibus his libris puram fere codicis *Λ* memoriam praebeant (sed cf. XI 4 τῶν ἄλλων παιδεύεσθαι μᾶλλον colloc. Oxon. = *Π*). Eadem fere est codicis Ambros. N 269 sup. conditio (X 1/4, 9/10, 34/35, XI 1/3, 54 mihi contulit Emminger), qui in oratione Nicoclea codicis *Λ* verba amplectitur, in Demonicea autem contaminationem cum memoria codicum *Γ* et *Π* subiit, cf. X 2 πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας = *ΓΠ*, 3 σοὶ μὲν ἀκμὴ φιλοσοφεῖν = *Γ*, δόξουσι = *ΓΠ*, (sed λόγον ⟨μόνον⟩ et δὲ ⟨καὶ⟩ τὸν = *ΛΠ*). 34 παρὰ μὲν θεοῦ = *Γ*, δὲ ἡμῶν (om. αὐτῶν) = Vatic. 2191 Laur. LVII 29 etc. Neque

cod. Ottobon. 178 longe distat, quem in Helena et epistolis Urbinatem sequi supra probavi (p. XLV): in oratione ad Nicoclem § 1/4 vero codicis Λ memoriam, in Demonicea textum cum Π contaminatum deprehendi, cf. § 1 ἅπας = Π; 2 πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας pr. (= Γ Π), φιλίας s. v. 2 = Λ; 3 συγγράφουσι λόγους colloc. = Laur. LVII 29 etc., 4 δόξουσι = Γ Π, 5 om. ἐστιν = Π, 9 ⟨σοι⟩ λεγομένων = Π. φιλόκαλός ⟨τε⟩ ἦν = Π.

Iam superest permagna librorum noviciorum caterva, in quibus **oratio ad Demonicum sola** exstat a Graecis et a serioris aetatis Graeculis studiosissime semper lectitata. Quos libros omnes ex memoria codicis Λ profectos sub uno conspectu hic componendos esse censui, cum pauci quidem codicis Λ verba pura fere retinuerint, plerique tamen contaminationem ostendant. Ac puri fere sunt codd. Vatic. 228 (saec. XIV.), Ambros. E 81, Laurent. S. Marc. 314, quorum cum Λ necessitudo artissima est, e. g. cf. § 34 παρὰ μὲν θεῶν et δὲ ἡμῶν εὐβουλίαν αὐτῷ (in Vatic. 228 haec cum § 28/41 desunt; in eodem libro § 9 οὐδὲ γὰρ = Π). Codd. Ambros. et Laurent. peculiaribus quibusdam librarii erroribus coniuncti ad eundem archetypum videntur referendi esse, cf. § 1 μέγιστον διαφορὰν, 3 παιδεύειν ἄλλως (etiam in Vatic. 228 et Laur. LVII 29), 4 τρόπον αὐτὸν, 34 ἐκείνων γνώμην (om. τε), 35 περὶ ἀλλοτρίων (om. τῶν). Codicis Vaticani autem menda singularia commemoranda sunt haec: § 1 μακρὰν ὄντες, 2 μὲν τῆς] μὲν om., καὶ σοὶ μὲν ad ἐπανορθῶ om., 4 σπουδαῖοι om.

Prope accedunt codd. Vatic. 604 et Laurent. LXXIV 13 (in quibus contuli § 1/10, 34/35) et Vallic. 81 (cognovi § 34/6), qui codicibus Τ Vatic. 2191 etc. consimiles notabiliora haec habent: § 34 παρὰ μὲν θεοῦ: δὲ ἡμῶν (om. αὐτῶν) Laur. = δὲ ἡμῶν αὐτῶν Vatic. = δὲ ἡμῶν αὐτῷ (= Λ) Vallic. Quod vero in Vallic. § 34 βουλόμενος παράδειγμα (cf. Π) legitur, librarii errore videtur factum esse. — Alii inter se comparandi sunt libri cum Π leviter contaminati: codd. Paris. 2652, Athen. 1077, Ottobon. 330, Paris. supplem. 467, qui a cod. Laurent. conv. suppr. 83 eiusque sociis (cf. p. LII) non multum absunt, cf. § 9 οὐδὲ γὰρ = Π (non in Paris. 2652), 10 φιλόκαλός ⟨τε⟩ = Π, 35 ὅταν ⟨δὲ⟩ ὑπὲρ, cum in § 34 cum Τ praebeant παρὰ μὲν θεοῦ (non in Paris. 2652) et δὲ ἡμῶν αὐτῶν.

Altius progressa est contaminatio in codd. Dresd. 47 (saec. XIV.), Ambros. E 26, Dresd. 46, Escurial. = Σ I 14, Estens. 144,

Monac. 495, Palat.-Heidelberg. 132, Paris. 963, 1739, 2077, 2557, 2933, 2991 A, Upsal. 49, Vatic. 938, Vindob. 311. Vratislav. 22, qui omnes inter se familiares simul describendi sunt, cum certae inter eos classes non appareant. Atque in plerisque, qui in §§ 1/10, 34/5 cogniti mihi sunt (Paris. 2077 § 7/10, 34/5, Upsal. § 1/5, 34/5), haec lectionis proprietas, cum codd. Paris. 2990 (*T*) vel 2991 nonnunquam communis, exstat: § 4 ὠφελοῦσιν om. (habent Ambros., Escur., Paris. 963, 2077, 2557, 2933, 2991 A, Vatic., Vrat.); 34 ταχίστην] πλείστην = Paris. 2991 (non in Par. 2933, Vatic.; πλείστην ταχίστην Ambros.); παρὰ μὲν θεοῦ = *T* (non in Ambros., Escur., Pal., Paris. 2933, Upsal., Vind., Vrat.); δὲ ἡμῶν εὐβουλίαν (om. αὐτῶν) = Paris. 2991 (ἡμῶν αὐτῶν cum *T* habent Dresd. 46, Paris. 963, 2557); ὡσπερεὶ ἀλλοτρίου (non in Ambros., Dresd. 46, Escur., Paris. 1739, 2557, Upsal., Vatic., Vrat.). Contaminationis vero vestigia cum *Γ* et *Π* inveniuntur haec: § 1 ἅπας (= *Π*) Paris. 2933, Vrat.; πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας = *Γ Π* plerique (πρὸς ἡμᾶς εὐνοίας Ambros., Escur. pr.: corr. rec., Paris. 1739, Pal. pr.: φιλίας in mg. 2); σὺ μὲν ἀκμὴν φιλοσοφεῖς = *Λ Π* Ambros. pr., Escur., Paris. 2557, 2933, Vrat., vel σὺ μὲν ἀκμῇ (ἀκμὴν Pal., Upsal.) φιλοσοφεῖν Est., Monac., Pal., Paris. 963, 2991 A, Upsal. (cf. Vatic. 790, 937, Laur. LIX 37), vel σοὶ μὲν ἀκμὴ (ἀκμὴν Ambros. corr.) φιλοσοφεῖν = *Γ* Ambros. corr., Dresd. 47, 46, Paris. 1739, Vatic., Vind.; 4 δόξουσι = *Γ Π* Ambros., Escur., Pal., Vrat.; 5 ἐστιν om. = *Π* Escur., Paris. 2557, 2933, Vrat.; 6 ἐπεσκότισεν = *Π* Dresd. 47, 46, Paris. 2557, 2991 A, Vrat.; 34 παράδειγμα = *Π* plerique (non in Ambros., Dresd. 46, Vatic.; παραδείγματος Paris. 2933); σαυτὸν et 35 σαυτοῦ = *Π* Paris. 2933; 35 συμβουλεύει χρῆσθαι (cf. *Γ* Estens. 75) et πρότερον (= *Π*) Paris. 2933; περὶ τῶν ἰδίων = *Π* Pal., Paris. 2933, Upsal.; ὑπὲρ τῶν ἀλλοτρίων = *Π* Pal., Vind. Notanda denique sunt menda quaedam singularia in codicibus nonnullis, quae communem fontem arguunt: § 3 συγγράφουσι λόγους colloc. (= Vatic. 2191, Laur. LVII 29 etc.) Dresd. 47, Escur., Paris. 2557, 2933, Vrat.; 4 γε om. Paris. 2933, Vind.; 5 ταύτην om. Escur., Paris. 2557, Vrat. pr.: in mg. add. 1 post ὅσοι γάρ: τὴν ὁδὸν ταύτην colloc. Vind.; 6 μετὰ φρονήσεως (om. μὲν) Monac., Pal. pr. (om. etiam μετὰ), Paris. 1739, 2933, Vind.; ἐσκότισεν Monac., Pal. pr. (in mg. corr. 2), Paris. 963, 1739 (ἐσκότησεν), Vind.; 7 ἡγουμένη] ποιουμένη Paris. 2557, Vrat.; 12 ἡγοῦμαι = *Z* Dresd. 47, 46, Monac., Paris. 963, 2991 A (alii?); 34 ἀλλοτρίου πράγματος = *Z* Pal., 35 τινι om. Escur.,

Paris. 2557, Vrat. Unde codices quidem Escur. et Paris. 2557 et Vratisl. consimiles esse manifestum est, etsi lectiones peculiares in utroque libro leguntur. Quae vero ceterorum cognatio sit non audeo dicere, suspicione etiam oppressa de codicis Λ parte amissa, cuius memoria singulis quidem codicum illorum lectionibus subesse potest: iudicium autem in suspenso manet.

Etiam **codd. Laurent. LV 7** = Σ (saec. XIV.) et **Paris. 2010** = Υ (saec. XIV.), qui plane singularem orationis **ad Demonicum** memoriam exhibentes ex communi archetypo descripti sunt contaminato, — cuius lectiones duplices et in Σ et in Υ reperiuntur —, prolem ediderunt quamvis paucam, cuius origo facili negotio definiri potest, cum codd. Σ et Υ haud raro inter se discrepent. Atque ex Σ profluxisse codicem Burn. 75, in quo primo huius familiae memoriam offendi, et mira verborum congruentia probatur et mendis quibusdam propriis, quae ex Σ explicationem habent: e. g. verba § 6/7 ἐπεσκότησεν. ἡ δὲ ad συναυξηθῇ, μόνῃ μὲν, quae in Σ unum explent versum, in Burn. librarii socordia omissa sunt. In codd. Paris. supplem. 69 et Monac. 313 (in or. X. sola; de XI. et XVII. cf. p. LI) autem, quos e codice Υ manavisse universo lectionis consensu ostenditur (cf. § 8 ἡρακλείων κλέους Monac.), fons ille cum codice quodam vulgatae memoriae (Λ) contaminatus est, ex quo lacuna magna inter § 14/22 codicibus ΣΥ communis repleta (cf. § 14 ὑγίειαν ⟨συμφέροντα⟩, ἐπιτυγχάνοις, λήγῃς = Λ, 16 τὸν μὲν θεὸν cf. Λ, 17 ἃ . . ἂν πράττωσιν, 18 μανθάνειν . . λαβεῖν = Λ) et aliis quibusdam locis codicis Λ lectio intrusa est (cf. § 48 habent εὐθὺς γὰρ ad τὴν ὑπόθεσιν, 49 habent κατέστησαν, 51 οἷς χρὴ παραδείγμασι χρωμένοις = Λ+Γ).

Alius liber, cod. Barocc. 51 continens orationes X. XI., cuius memoriam primum quidem sui iuris esse existimabam, cum lectiones plurimas ab omnibus codicibus discrepantes afferret, graviter me fefellit: lectionum indolem diligentius inspectanti error cognitus est facile excusandus. Orationis enim Nicocleae verba, quae maximam partem excussi, cum Λ plerumque conveniunt, verborum tamen collocatione e librarii arbitrio aut neglegentia multifariam commutata, ex quo fonte alia quoque menda in hunc librum ultro invaserunt. Quod ut melius perspicias, hanc mecum reputes varietatem cum Λ solo communem: XI 2 ἐγὼ δ' ἡγησάμην ἂν (cf. Γ mg. unc.), 6 om. τὴν,

8 ἀλλὰ ⟨καὶ⟩ τὸ etc.; cui nonnullae codicis Γ lectiones contaminatione immixtae sunt, cf. § 3 καὶ τῶν ποιητῶν τινες, 4 οὐ πλησιάζουσιν αὐτοῖς, 9 ἐν κεφαλαίοις etc. Hanc vero perpendas varietatem peculiarem, quam exscribere fere taedet: § 3 om. ταῖς ἀλλήλων ἁμαρτίαις, colloc. γενέσθαι βελτίους, 4 colloc. τὸν τῶν ἰδιωτευόντων βίον, 5 μὲν colloc. post ἀποβλέψωσι, 6 colloc. ἐστιν αἴτιον et νομίζουσιν εἶναι, 8 ⟨πάντων⟩ τῶν, colloc. ἐστὶ μέγιστον et τῶν δὲ καθόλου ἐπιτηδευμάτων, 7 om. οὖν, colloc. ὄντα ἐν ταῖς διανοίαις, 9 περιλάβωμεν ὅλην τὴν δύναμιν τοῦ πράγματος καλῶς, etc., 30 ἐστὶ δυνατὸν διαπράξασθαι, ἀλλ' ἔσο μέγα φρονῶν ἐπ' ἀρετῇ, νόμιζε εἶναι ἀληθεστάτας τῶν τιμῶν, om. γιγνομένας, ὅταν αὐτοὶ ⟨οἱ ὑπήκοοι s. v. rubro⟩, θαυμάζουσι, ἐὰν συμβῇ σοι χαίρειν ἐπί τῳ ⟨πράγματι s. v. rubro⟩ τῶν φαύλων, δὲ ⟨ἀεὶ⟩ περὶ etc. Atque in oratione Demonicea (contuli § 23/9) memoriam itidem contaminatam inveni (cf. § 23 μεγάλων om. = Λ, μηδένα θεὸν = Λ, 25 ἐκ τῆς (om. τε) = Π, οὕτω δ' ἄριστα = Π, ἂν μὴ = Λ, 26 ὁμοίως ⟨δὲ⟩ = Π, 27 σπουδαζόντων (om. μὲν) = Λ, etc.), eandem librarii libidinem (cf. § 23 colloc. μέλλῃς εὐορκεῖν, 25 ἐν τοῖς καιροῖς αὐτοῖς, 27 colloc. τὰ βελτίω δὲ ζήτει, etc.). Quare hunc librum ineptum, cuius lectio nonnisi casu cum teste quodam vetustiore convenit, iure abiciemus (cf. Vorläufiger Bericht 1905 p. 317).

Ad extremum **codicis Vatic. 64** = Φ (anni 1270) familiam contemplemur, quae epistolas Isocratis solas ex memoria vulgata servavit. Quos codices omnes ex uno cod. Vatic. 64 descendere persuasum habeo, cum non solum et ordine et memoria epistolarum a Γ differente (III. II. I. VII. IX. VIII. VI. V. IV.) in universum congruant, sed etiam propria quaedam menda e memoria illa corrupta traxerint: quod epistola I. ad Dionysium cum omnibus his libris collata evici (cf. Blätter f. d. bayer. Gymnas.-Schulwesen XXXVII 1901 p. 358/61). Atque codex iste omnibus fere cum vitiis descriptus est — aliis nonnullis errore illatis, mendis paucissimis coniectura correctis — in cod. Vatic. 1461, qui etiam inscriptiones omnium epistolarum retinuit, cf. I 3 ἀφελόντας σε, 5 καὶ μὴ μόνον δ' ἐμὲ προθύμως, 8 πράττειν ἅμα καὶ καρχηδονίοις μὲν οὕτω πράττουσιν (om. πολεμεῖν ἐπειδὴ δὲ λακεδαιμόνιοι): II 11 καὶ τὰς τιμὰς (lac. 24 fere litter.) καὶ περὶ τούτων = Φ. Peculiaria vero in eo sunt haec: I 2 om. μᾶλλον, 4 ἡσυχίαν ἦγον, πείσειεν ὡς οὐκ ἔνεστι τοσοῦτον, 10 ἄπειρος.

Consimiles sunt codices nonnulli inter se coniungendi Paris. 3054 (epist. III. initio mutila; desunt inscriptiones ad VII. et VI.; inscriptio ad I. mutilata = λυκόφ) et Palat. 134 (ordo leviter mutatus: III. I. II. etc.; desunt inscriptiones ad I. VII. VI.; inscriptio ad III. = ἐγκώμιον ἀρχηδάμου), quibuscum arte cohaeret epistolarum editio Aldina 1499 (om. epist. III.; ordo leviter mutatus: I. II. VII. etc.; inscriptiones falsae ad I. et VI. = φιλίππῳ bis). E quibus has lectiones referam plerumque congruentes, quae vel errore vel coniectura ortae sunt: § 3 ἀφελόντας σε *Φ* Pal. = ἀφελόντα σε Paris. Ald.; τὰς δυσχερείας προειρημένας (om. τὰς) Pal. = τὰς ⟨δυσχερείας s. v.⟩ προειρημένας Paris. = τὰς προειρημένας δυσχερείας Ald.; 4 ὡς σὺ *Φ* Paris. = ὡς δὺ Pal. = ὡς δὴ Ald.; πείσειεν om. Paris. Pal.; προσάγηται; 5 καὶ μὴ νομίζω δεῖν με προθύμως; 8 ἐναντία πράττειν πράττουσιν ὥστε Pal. Ald. = Paris. pr., ἅμα καὶ καρχηδονίοις μὲν οὕτω s. v. add. 1; πῶς ⟨οὖν⟩ Ald. A librariis (iam in archetypo?) emendati sunt loci: § 2 ἀλλ' αὐτοὺς = *Γ* Ald. sola, 5 γένῃ = *Γ*, 7 παρεσκεύασμαι = *Γ*, 8 ἔχωσιν = *Γ*.

Alii tres inter se necessitudine continentur codd. Helmstad. 806 (cum titulis omnibus), Laurent. LXX 19 (inscriptio ad III. = ἐγκώμιον ἀρχιδάμου; desunt inscriptiones ad I. VII. IX. VIII. VI. V. IV.), Vatic. 1336 (om. epist. III. cf. Ald.; desunt inscriptiones ad I. VII. IX. VI.), qui cum codd. Paris. 3054 et Pal. 134 ad eundem archetypum redeunt iam vitiatum, cf. § 3 ἀφελόντα σε, 4 om. πείσειεν, προσάγηται, 5 νομίζω δεῖν με προθύμως, alibi vero correctum, cf. § 5 γένῃ = *Γ*, 7 παρεσκεύασμαι = *Γ*, 8 ἔχωσιν = *Γ*, cum libri hi recentes novis etiam corruptelis inquinati sint, cf. § 2 λόγον ⟨τοῦτον⟩ Vatic., 5 προσήκει (om. καὶ μὴ), 7 πράττειν ἅμα καὶ ⟨νῦν λακεδαιμονίοις⟩ μὲν οὕτω πράττουσιν, χώραν αὐτῶν, om. τὴν (Vatic.?).

Ultimus denique cod. Paris. 2944 epistolam III. solam (inscriptam ἐγκώμιον ἀρχιδάμου, cf. Pal. 134, Laur. LXX 19) complectitur memoria cum cod. Helmstad. 806 plane congrua. Quod ex his lectionibus a *Φ* diversis cognoscas, quae ex utroque libro (§ 1—7) praesto mihi sunt: § 1 σε om., οἷος om. Paris. solus, 2 περὶ ὑμᾶς = *Γ*, 3 ἴσασιν μόνως, 7 οὐδεὶς ἂν] ἂν om., ἡδίστους = *Γ*.

Caput III.

De codicis Urbinatis Γ praestantia. De archetypo. De papyris et testimoniis.

Codicem Isocratis Urbinatem Γ omnium, qui ex antiquitate servati sunt, librorum manu scriptorum prope optimum esse inter viros doctos nunc certe constat. Cuius praestantiae deberi, quod in oratoris verbis emendandis perquam raro coniecturis opus sit, praeter alios egregie exposuit Hermannus Sauppe (Symbolae ad emendandos oratores Atticos, Gottingae 1873 p. 9). Neque tamen ullum librum inveniri ab omni mendo liberum ipsa rei natura declaratur, quandoquidem librariorum vel diligentissimorum opus humanae naturae vitio et fortunae ludibrio subiectum est, quo memoria purissima per saecula iterum iterumque descripta plus minusve foedatur. Quod etiam in Urbinate accidit, quam ob rem in libris deterioribus, etsi bonitas eorum trecentis milibus ab Urbinate distet, hic illic frustulum memoriae genuinae superest, quo Urbinatis verba manifesto corriguntur. Quis vero Urbinati ob haec vitia omnibus libris communia fidem denegaverit? Immo „longum est explicare, quoties vel versus complures vel verba singula quae prorsus excidissent solus servaverit, locis qui intelligi vel non possent vel aegre possent sensum et perspicuitatem reddiderit, glossemata sede male occupata depulerit, aequabilitatem dictionis Isocrateae vindicaverit, naevis labentis graecitatis sermonem Isocratis castissimum et purissimum liberaverit“ (Baiter et Sauppe in edit. Turic. p. II). Atque hoc imprimis memoria tenendum est, quod hiatus evitandi norma vere Isocratea Baitero (apud Bremi 1831 p. 216/20) et Benselero (ad Areopag. 1832 p. 385/416, de hiatu 1841 p. 9/61) ex Urbinate demum patuit, qui contra reliquos libros raro admodum solus hiatum patefecit. Qua de causa viros illos doctos, qui post Bekkerum Urbinati honorem conati sunt demere, — unum nomino A. Matthiae in Grammat. graeca (cf. ed. III. p. 227, 786, 977 sq., 1166, 1210, 1212, 1326, 1406, 1412) —, laborem suscepisse inanem facile tibi persuaseris. Nam „quid hoc est, trecentis locis non posse non concedere, veram lectionem ab hoc uno codice servatam esse, tribus locis, quibus tibi exemplum eripi aegre tuleris vel ἐάν coniunctionis cum optativo iunctae vel ἄν particulae modo indicativo temporis futuri praesentisve additae, temerarii grammatici manum correctricem odorari?“ (ed. Turic. p. III).

Sane futtilis est ratio criticorum illorum, qui opinione praeiudicata ducti scriptori antiquo legem severam constituunt orationis formandae, quam in codicibus laesam quasi maiestatis crimen persequuntur. Leonardus quidem Spengel, vir sagacissimus et alioqui prudentissimus, earundem syllabarum concursum, qui Isocrati quidem odiosus fuit (cf. Maxim. Planud. ad Hermog.: Rhet. Gr. V 469 W, Joannnes Sicel.: ibid. VI 156 W), ubique quolibet modo delendum esse censuit, etsi syllaba levissima esset velut articulus post ταύτης (τῆς), τοῦτον (τὸν), αὐτὸ (τὸ), ἁπάντων (τῶν) etc. locum obtinens legitimum (cf. συναγωγὴ τεχνῶν 1828 p. IX/XXIII, sed cf. Benseler ad Areopag. p. 183). Atque maiore vix digni sunt laude Cobeti, Naberi, qui grammaticam quandam vel orthographicam secuti normam omnia, quae in scriptoribus ab illa recedere visa sunt, vi accommodare et exaequare ausi sunt. Nimirum quid valeat librariorum in rebus grammaticis vel orthographicis indiligentia dudum quidem cognitum et accuratius nuper expositum est a Crönertio (Memoria Graeca Herculanensis, Lipsiae 1903), cum serioris aetatis usum ex papyris nunc manifestum pertractaret. Et scribendi rationem spectantes certissimis quidem testibus iure utemur inscriptionibus, quae ad auctoris huius tempora attinent (cf. Meisterhans-Schwyzer, Grammatik der attischen Inschriften, ed. III. 1900 = Gramm. Inscr. Att.[3]). At caveas velim, ne scriptori ex usu aetatis illius normam ullam imponas, quam ipse quibusdam de causis spreverit, praesertim cum codicem teneas inter omnes unum excellentem, qui scriptoris manum in rebus vel minutissimis religiose videtur servare. **Res orthographicas** igitur in Isocrate quidem non solum ex inscriptionibus, sed etiam ex codicis optimi memoria diiudicemus, quem persaepe genuinas aetatis Isocrateae formas retinere in promptu est.

Atque gravissima est quaestio de littera ν quae vocatur paragogica, de qua post Benselerum (ad Areopag. p. 185 sq.) diligentius egit Keilius, Anal. Isocr. p. 113/23. Nam postquam Martini demum cura litteram illam in Γ etiam ante consonas saepius positam esse apparuit, inquirendum erat, utrum orator aetatis posterioris normam in libris vulgatis conspicuam secutus litteram illam in oratione media ante consonas neglexisset necne. Poetarum autem (cf. Keilium) et titulorum testimonio (cf. Gramm. Inscr. Att.[3] p. 113/4) homines Atticos quarti a. Chr. n. saeculi litteram ν etiam ante consonas adamavisse, in clausula vero eam perraro omisisse constat. Quem usum apud Isocratem non solum codicis Γ memoria, sed etiam eo firmatum videmus, quod homoeoteleuton quod dicitur persaepe nisi littera ν addita non perficitur: exempla in una-

quaque fere pagina occurrunt. Quo adducemur eo, ut ν illud in membrorum fine ubique (plerumque cum Γ) addamus, alibi vero Urbinatis auctoritatem sequamur, hoc memoria tenentes, codicum librarios in minutiis quidem persaepe neglegentia erravisse, cautius tamen nos agere in Urbinatis memoria sequenda nonnunquam fortasse corrupta, quam in vulgatorum librorum verbis recipiendis secundum normam aliquam libidinose correctis: quod post Keilii curas iam placuit Schneidero in tertia Panegyrici et Philippi editione (1886 p. 158/9, cf. etiam Rauchensteinii editionem quintam p. 168, Kühner-Blass, Grammat. graec.[3] I p. 295, May, Über das sog. ν ἐφελκυστικόν, N. philol. Rundschau 1900 no. 22 p. 505/8, Crönert p. 137/9).

Eadem ratio valet in vocabulis ἐάν = ἄν = ἤν et ἑαυτοῦ = αὑτοῦ, σεαυτοῦ = σαυτοῦ, quae in codicibus saepissime variant. Atque Isocratem nec ἐάν nec ἄν usurpavisse, sed ἤν tantummodo (fortasse etiam ἄν) dixisse Benselerus (ad Areopag. p. 146/8), quem secutus est Blassius, sibi visus erat evicisse. At formam ἐάν vere Atticam esse, oratorum aetate autem perraro ἄν, nusquam formam Ionicam ἤν inveniri ex inscriptionibus docuerunt Meisterhans-Schwyzer, Gramm. Inscr. Att.[3] p. 255 (cf. Crönert p. 130). Contra apud Isocratem usitatissimum est ἄν. Verum tamen ἐάν in omnibus codicibus vel in Γ solo legitur hic: III 22 Γ, VI 4, 47, [X] 21, 22, 24, 27, 30, 32, 43 (Γ Π), XI 16, 35 Γ Λ, XII 53, XIV 163, XV 42, XVI 25 Γ, 69 Γ, 75, XVIII 11, XIX 12 Γ, 28, XX 74, XXI 180, 238, ep. II 10, V 10 Γ, VI 12 bis, VIII 5 Γ, IX 2, cum in libris vulgatis solis etiam saepius exstet: III 21, V 26, XI 9, 15 Θ^{a}, 20, 26, 29, 30, 31, 35, 54, XII 13, 15, 53, 57, 58, 63, XIV 32, 130 Θ, 163 Θ, 173, XVI 39, 87, 105, 107, XVII 138 Λ^{a}, XIX 25 Λ, 216, 217, 220, 258, XX 154 Θ, XXI 85, 86, ep. I 4, II 9. Atque frequentior etiam est usus vocabuli ἤν (cf. Preuss, Index Isocr. s. v.), qua in voce usurpanda tamen libri saepe differunt, cf. VI 47 (ἤν Λ), IX 40, 42, XI 16 et 20 et 29 (ἤν Θ^{a}), 30, 35 (ἤν Π), XII 15, 57, 58, 63, XIII 34, 48, XIV 32, 130, 163, 173, XV 15, 38, XVI 26 (ἤν Θ Λ), 87, 105, 107, XVII 20, 50, 133, 134, 138, XVIII 34, XIX 12 (ἤν Θ Λ), 25, 112 (ἤν Θ), 216, 217, 220, 258, 308, XX 24, 137, 154, XXI 85, 86, 136, ep. IV 10 (ἤν Φ), VII 23. Quae cum ita sint, Isocratis orationem his minutiis quoque a sermone cotidiano diversam esse apparet, ut in re dubia codicem optimum rectius sequamur quam titulos.

Quod vero ad differentiam vocum ἑαυτοῦ = αὑτοῦ, σεαυτοῦ = σαυτοῦ attinet, quam Dindorfius (ad Paneg. § 1), Benselerus (ad

Areopag. p. 249), Blassius ex editionibus expulerunt sola forma αὑτοῦ recepta, iam Baiterus (ad Paneg. § 1) rectissime „satius duxit cum Bekkero Urbinatis auctoritatem sequi formam trisyllabam quinquagies ferme tenentis. Ne poetae quidem Attici ea prorsus abstinuerunt“ (cf. Keil, Anal. Isocr. p. 106/13). Etenim in omnibus libris vel in Γ solo forma trisyllaba traditur: V 17 Γ, VI 1, 12 Γ, VIII 64, [X] 3, 14, 15 bis, 16 ΓΠ, 21, 21 Γ, (21), 23, 34, 35 bis, XI 11 Γ, 11, 13, 24 bis Γ, XIII 13, 37, 43, 49 Γ, 51, 62 bis, XIV 1, (41), 56, XVI 2, XVII 23 Γ, 93, 95 Γ, XIX 72 Γ, 88, 122 Γ, 149, XX 36 Γ, 37, 80, XXI 17, 184 Γ, 210, 253, 272 Γ, ep. II 5, 8 Γ, cum in vulgatis etiam crebrior sit: II 18, 21, III 4, IV 3, 34, V 44, VI 28, VIII 23, 25, 40, 44, 46, 50 bis, 60, IX 6 Θ, [X] 10, 19, 45 ΣΥ, 46, 49, XI 14 bis, 20, 23, 29 bis, 31, 36, 38, XII 20, 36, 37 bis, 41, 51, 55, 56, XIII 5, 6, 12, 30, 35, 36, 41, (57), 61 bis, 66 et 67 Λ, 68, XIV 44 bis Λ, 52 ΘᵅΛᵅ, 62 et 77 Λ, 81 ΛΛᵅ, 83, 86 et 91 et 96 et 99 et 110 bis et 111 Λ, 111, 125 et 127 et 140 et 146 et 153 Λ, 153, 177, XV 25 et 30 et 43 Λ, XVI 40, 43, 45, 62 bis, 80, 110, XVII 32, 43 et 47 Dion., 54 ΛΘᵅ, 90, 91, 103, 112, XVIII 38 Λ, XIX 144, 146, 199, 241, 246, 268, XX 35 Λ, 79 Θ, 107, 118, XXI 55, 136 Θ, 143 Λ, 148, 158, 197, 207, 230, 237, ep. I 6, V 4, VI 10 bis, VII 7. In inscriptionibus saec. IV. autem 31 exempla formae ἑαυτοῦ, 23 formae αὑτοῦ reperiuntur, cum post annum 300 a. Chr. n. forma ἑαυτοῦ sola fere (100 : 7) usurpata sit, cf. Gramm. Inscr. Att.³ p. 153/4, Crönert p. 131.

Pauca adicienda sunt de augmento verborum q. d. syllabico, cum codices haud raro inter se discrepent in augmentandis verbis quae sunt βούλεσθαι, δύνασθαι, μέλλειν. Quae cum titulis Atticis testibus oratorum aetate augmentum breve accipiant = ε, post annum 300 a. Chr. n. autem augmentum producant = η (cf. Gramm. Inscr. Att.³ p. 169, Crönert p. 202), in codicibus Isocrateis omnibus ἐβουλόμην, ἐβουλήθην invenitur quater: VI 28, ep. VI 2; V 28, IX 48, contra ἠβουλόμην, ἠβουλήθην octies: VI 39, XVII 10 (praeter Dion.), 36 (praeter Λᵅ Pap.), XIX 114; V 54, XIX 121, XX 12 (praeter Λ), 21. In Γ solo ἐβουλόμην exstat semel: XX 29, ἐβουλήθην novies: VI 32, VIII 60 ΓΛ, XII 39, XIII 65 ΓΛ, XIX 204, XX 146 ΓΘ, XXI 39, 79, 203; praeterea in vulgatis tantum codicibus legitur ἐβουλόμην ter: VI 43 Λ, ep. III 13 et VII 23 Φ, ἐβουλήθην ter: VI 37 Λ, XIX 45 Λ, ep. IX 1 Φ, quibus accedunt sex loci ex orationibus in Λ solo servatis I 8, 16, 19, 21, II 15, 51; (cf. etiam

XXI 226 ἠβούλοντο Γ, βούλοιντο ΘΛ). — Paulo aliter in verbo μέλλειν correpta augmenti forma ἔμελλον etc. in omnibus codicibus exstat sexies: V 32, 54, VII 1, XII 39, XIV 83, XIX 165, in vulgatis praeterea duodecies: II 49, V 7, 46, 55, VI 38, VIII 24 Θ, 25, 26, XVII 83, XIX 51, 146, XXI 231, cum in Γ his locis producta reperiatur (cf. etiam V 39, VI 31). — Quae serioris aetatis forma in verbo δύναμαι codicibus omnibus longe usitatior est, cf. ἠδυνάμην bis: XII 33, XX 129, ἠδυνήθην quinquies: [X] 5, XIV 102, XVIII 12, XIX 115, XX 108, cum vulgati soli raro exhibeant vetustiorem, cf. ἐδυνάμην ter in Λ solo: V 34, VI 26 bis, ἐδυνήθην semel in Θ solo: XVI 12. Nihilo setius inscriptionum usus in his omnibus Isocrati ubique restituendus erat, cum codices lectionis genuinae vestigia satis multa servaverint.

Vereor tamen augmentum q. d. temporale verborum ab εὐ- incipientium Isocrati tribuere, quod vetustioribus quidem titulis Atticis in usu est, cum forma augmento destituta (ευεργετηκασι) fine demum saeculi IV. occurrat (cf. Gramm. Inscr. Att.[3] p. 172). Nam in Isocratis codicibus praeter raros codicis Λ solius locos (XIV 59 ηὐδοκίμησαν Λ^{a}, item XXI 152 Λ, XVII 83 ηὐδαιμόνιζον ΛΠ, XXI 7 ηὐτυχηκόσιν Λ, cf. XIV 56 εὐηργέτησεν ΘΛΘ^{a}) nullum est formae augmentatae exemplum (itidem fere in Crönertii papyris cf. p. 205), ut discrimen datum sit inter titulorum et codicum omnium memoriam constantem. Atque id, quod exeuntis iam saeculi auctor secundum titulorum testimonium scribere potuit, quod re vera secundum codicum memoriam fidam scripsit, aequabilitati inservientes omnibus operibus eius iure restituamus, etiamsi orator, qui duas saeculi IV. partes scriptitando explevit, scribendi rationem fortasse aliquando ex temporis usu commutaverit: quod ut certe diiudicemus fieri omnino non potest. Cf. etiam Strang, Kritische Bemerkungen zu den Reden des Isokrates 1831 p. 56/7 et in Archiv f. Philologie u. Paedagog. III 1834 p. 570, Benseler praef. p. XXII 2, Sandys ad Paneg. § 83, 102.

Verborum terminationes iam a Bekkero ex Urbinate saepissime correctae sunt, qui liber secundam indicativi praesentis passivi vel medii personam ubique fere in -ει cadentem tradidit, cum codices vulgati formas in -ῃ exhibeant, cf. IV 43 bis, 44, IX 33, 42, [X] 12, 17, 18, 20 bis, 25, 41, XI 35, XIII 77, 80, 81, XV 16 bis, XIX 12, 72, 124, 137, (323), XX 6 bis, 68, 69, 80, 96, XXI 204, 237, ep. III 1, VII 18. Iure igitur Bekkerus paucissimos locos obstantes coniectura (ad Demon. § 17) emendavit: [X] 21, 25 bis, 29, 31, 34,

XX 137, XXI 260; cf. Crönert p. 37 n. 1. — Item aoristi primi persona prima pluralis optativi passivi ubivis in formam abbreviatam -εῖμεν redigenda erat, quae 21 locis in Γ legatur contra -είημεν memoriae vulgatae, cum clausula -είημεν quinquies in codicibus omnibus exstans a Dobsonio et Benselero recte iam expulsa sit: IX 20, XVI 47, 57, XVII 69, XIX 218, cf. ad IX 20, Crönert p. 218. — Quod vero Benselerus et Blassius in aoristi primi persona tertia plurali optativi activi formas in -ειαν desinentes ubique praetulerunt, repugnante codice Γ factum est, qui contra 29 -ειαν ex aequo paene (25 locis) terminationem -αιεν retinet, cf. ad IV 6, Crönert p. 211/13.

De aliis quae in Γ deprehenduntur scripturae pristinae vestigiis, de quibus brevissime exponi potuit, accuratius iam egi in apparatu critico, ad quem hic revocasse satis habeo: αἰκεία cf. ad III inscript. (Crönert p. 31 n. 2); ἀνδρεία cf. ad IV 27 (Crönert p. 32 n. 1); ἑταιρεία cf. ad X 10; βούσειρις cf. ad IX inscript.; φιλονεικία cf. ad VIII 48; φλειάσιος cf. ad XIV 126; μείγνυμι cf. ad VIII 28; ἀποτεῖσαι cf. ad II 10; προάστια cf. ad IV 13 (Crönert p. 317 ad titulos Magnesiae); ὑός cf. ad V 11 (Crönert p. 123 n. 5); οὕτως ante consonas cf. ad X 35 (Crönert p. 142); ταὐτόν et ταὐτό cf. ad VIII 35 (Crönert p. 194); οἴομαι et οἶμαι cf. ad VI 4 (Crönert p. 271 n. 3, 4); ἐπιμέλονται cf. ad VI 49 (Crönert p. 223 n. 4); accusat. γραφεῖς, βασιλεῖς etc. cf. ad X 11; τὼ πόλεε (πόλη) τούτω cf. ad XIV 17; κατηργάσαντο cf. ad XIII 57; κέκλειμαι cf. ad XIV 34.

Quibus in rebus omnibus fere codex Urbinas praestantissimum ducem se praestitit, nonnunquam quidem librariorum indiligentia errantem, in universum autem fide dignissimum. Quod vel in levissimis rebus firmatur, cum iota q. v. mutum in Γ recte saepius addatur, in libris vulgatis plerumque neglegatur, cf. ζώιων X 11, XII 5, XIV 48, XVII 34, XIX 211, 293, XX 116; σώιζειν VIII 61, IX 20, XVI 36, XVII 140, ep. VI 6; ἐπῆιρεν XIV 108 (cf. II 17), sed etiam ἐπάιρασαν XVII 105 (= Pap. corr., cf. Crönert p. 45 n. 2), ἐπήιρθην XX 10 (cf. I 5, 11, ep. I 5), ἐπαιρθῆναι V 46 cf. IX 47 (II 43, V 35). Ceterum etiam in Γ nulla est constantia in illa littera ascribenda, quam in declinationis et coniugationis formis additam hic omnino non curo, cf. XI 16 εαις, περιοραις etc. Ac tamen praeter ceteros notandi sunt loci haud pauci, quibus iota mutum in Γ perperam adiectum invenitur, cf. οὕτωι III 12, IV 7, V 52, XI 23, XII 26, XIII 35, 36, 39, XIV 1, 61, 79, 87, 90, XV 36, XVI 49, 54, 59, 78, XVII 8, 36, 66, 76, 105, 107, 127, XVIII 25, 37, 67, 71, XIX 32, 110, XX 80,

137, XXI 142, 226, ep. VII 7; πλείωι IV 38, V 34, VIII 67, XIX 166, ep. V 9, 10; καλλίωι XVI 14 (cf. Crönert p. 42 n. 3); μῆι III 12; ἧι V 34; Θήβηισιν XXI 173; τυγχάνωι XX 113; χρῆι XI 54; συνέβηι IX 29; ἀπώκηισαν XX 5; χρωιμένους XX 94 cf. χρώιμεθα ep. VIII 4. Nam Crönertius (p. 46) ex papyris nuper docuit, perturbationem illam tantam circumscribi primo p. Chr. n. saeculo, cum saeculo altero vocalis muta rarescat, saeculo III. plane propemodum omittatur. „Sic deest etiam in sacrorum librorum monumentis vetustissimis velut in Vaticano Sinaitico Sarraviano Augiensi aliis, sed reduci coepit saeculo VII. Codices denique s. X. XI. XII. permultis locis etiam falso positum servarunt, cf. e. g. de Homeri Venetis A et B La Roche Homeri Odyss. praef. 36—38, suntque in hac re libri qui vel s. XVI. conscripti illa vitia nondum plane abiecerint".*) Atque etiam Crönertio persuasum est, in codicibus illis saec. X. XI. XII. antiquum vitium potius servatum quam illis temporibus redintegratum esse (p. 46 n. 6), quam opinionem prorsus amplexus ipse archetypum saeculo I. (vel forsitan II.) p. Chr. n. conditum codice Urbinate fidissime repraesentari ex vitiis illis pro certo colligo.

Quae sententia etiam alio scribendi vitio, quod Urbinati familiare est, confirmari videtur, consonarum dico assimilatione, quae grammaticis probatur, ab Urbinatis manu prima persaepe neglecta, cf. IV 7 (συνστήσαντες pr., corr. rad.), 13 (συ + καταγαγεῖν pr., γ in ras. corr. 2), 27 (ἐνχειρίσαι pr., corr. 1), V 5 (συγλαμβάνει pr., corr. 2), VI 19, 31, VII 14, IX 18 (συνσίτια pr., corr. 2), X 7, XII 41, 54, XIV 15, 47, 71, 93, 124, 142, XVII 68, 97, 132 (ἐνγένοιτο pr., corr. 2), XIX 132, 160 (συγνώμης pr., corr. 2), 250 (ἐνλογίμων pr., corr. 2), XX 30, 63, 67, 90, 96, 122, 126, 134 (συνπαρακολουθοῦσαν pr., corr. 5), 139, 141, 151, XXI 18, 51 et 52 (συνκινδυνεύσαντες pr., corr. 2 = Θ), 159, 167; cf. X 21 Pap., XI 7 Pap., XIV 44 ἐγγενέσθαι Γ > ἓν γενέσθαι Θ > εἰς ἓν γενέσθαι Λ (exempla reliqua ex appendice critica petas). Etenim consuetudinem illam scribendi, quam Isocratis iam temporibus tituli ostendunt (cf. Gramm. Inscr. Att.[3] p. 112/113), etiam in papyris saeculorum I. II. III. late patere Crönertius animadvertit (p. 58/60, cf. Hyperidis papyrum Harrisianum), cum aetatis Ptolemaeorum libelli studio consonas exaequandi multo magis obsecuti sint. Unde codicis Urbinatis archetypus ille saeculi I./II. p. Chr. n. iterum cognoscitur.

*) De Platonis codice Bodl. cf. Usener. Jahrb. f. class. Philol. 91 (1865) p. 251 sq.

Non premam innumeras paene in Γ vocalium ι, ει, η, υ, οι, etiam αι, ε (velut ἕτερος > ἑταῖρος XIV 176, ep. III 14) confusiones, quae in codicibus vulgatis haud ita vulgares sunt: errores iidem in papyris Isocrateis aliisque saepissime recurrunt. Neque accuratius disseram de frequenti in Γ consonarum geminatione superflua velut θαλλάττης IV 27, ἀλληθῆ ibid., πολλύ IV 14, μάλλιστα V 24, ἔλλαττον V 54, φωκυλλίδου XI 43 (ΓΛΠ), cf. ep. I 5, III 18, V 1, VI 6 etc. (cf. Crönert p. 77 n. 1), cum e contrario geminatio legitima, etsi raro, praetermissa sit: πελοπονησίους VIII 31 cf. 68, XXI 166, διαλάττεσθαι XII 33, XIII 63 etc. (Crönert p. 74 sq.): quod vitium in codicibus vulgatis (maxime in Θ) creberrimum est, cf. πελοπονήσιοι, μεσήνη, ἑλήσποντος, τισαφέρνης etc. Item verbo tantum commemorabo haec Urbinatis menda, quae etiam ipsa, ex parte quidem, ex antiquitate fluxisse probabile est: γίνεσθαι VII 14, IX 46, X 11, 14, 20, 24, 30, XI 30, XVI 14, XVII 35, XXI 181 et γινώσκειν VII 2, XI 16, 18, 31, 52, XII 40, XIII 78, XVI 2, XVII 39, 52, XX 26, 110 (formae in libris vulgatis usitatissimae); λειτουργία et λειτουργεῖν ubique (in codicibus omnibus excepto XVII 128 Pap.); ποεῖν VII 15, XII 7 $Γ^α$; θαρσεῖν XIX 121 (cf. XVII 49 Dion. et ad X 7); βυβλίον XX 21 (contra βιβλίον II 19 Λ, VI 14 ΓΛ, XXI 251 ΓΘ [Λ]: cf. Crönert p. 21/2); ἕνεκεν XXI 3 (nonnunquam in vulgata, cf. etiam X 28, 47, Benseler ad Areopag. p. 351); ἐς XIV 61 (cf. VI 22 $Γ_4$, XVI 65 $Λ_2$, XX 114 Pap. mg., ep. VII 13 Φ); ἐμμέσῳ (pr., corr. rad.) XIV 42, cf. αμ προθύμως (pr., corr. 2) XVI 87, (εγβαινουσιν XVII 48 Pap); προεργου (pr., corr. 2) XIX 269, πραγκτέον (pr., corr. 2) XIX 271, διαλεγχθῆναι XIX 272. Denique peculiaria quaedam adiciam, quae in scriptura singulorum librorum vulgatorum deprehendi: φυλάσσειν, γλῶσσα, θάλασσα et similia VIII 34, X 41, 52, XI 13, XIII 54, XIV 89, 120, 141, XVI 53, XVII 29, 36, 64, 86, XVIII 7, 65, XIX 87, XX 53, 63, 146, XXI 3, 44, 67, 267 (θαλάσσης etiam in Γ XXI 44); σμικρότης VII 9, XIV 93; ξυμφέρουσαν XX 10 cf. X 3 Lex. Vindob.; οὐθείς VII 21, XI 11 (passim in papyris, praesertim in Berolinensi); αἰεί XI 18, XIV 85, XVI 15, (XVII 110 Pap), XX 135.

Ut orthographicam hanc provinciam absolvam, codicem Urbinatem etiam in syllabis dirimendis papyrorum usum parum quidem constantem sequi significo, cum librarius compositionem verborum saepius respexerit neque consonas in syllabis extremis vitaverit, correctores vero (2 et 4) id potissimum egerint, ut syllabas in vocalem terminantes efficerent (cf. epitaphii Hyperidei pap. Babingt. ap. Blassium p. XVII,

Kenyon, Palaeogr. of Greek Papyri p. 32, Crönert p. 10/18): IV 23 παρ|ύμῖν pr., παρύ|+μῖν corr. 1; 26 ἀν|ώρυττον pr., ἀνώ|+ρυττον corr. 2; V 34 παρ|ἀνθρώπῳ pr., πα+|ρἀνθρώπῳ corr. 2; VI 29 εισ|ηλθον pr., ει+|σῆλθον corr. 4; 30 προσ|ειπωσιν pr., προ+|σείπωσιν corr. 4; XI 27 συν|οντων pr., συ+|νόντων corr. 2; XVIII 66 νεωσ|++κους pr., νεωσοι|++κους corr. 2; XIX 307 προσ|αγαγὼν pr., προ+|σαγαγὼν corr. 4; XXI προσ|εξειν pr., προσέ|+ξειν corr. 4; ep. III 2 παρ' | εμαυτοῦ pr., παρ' ε|+μαυτοῦ corr. 2; V 3 παρ|ελθόντα pr., πα+|ρελθόντα corr. 2;

IV 43 σ|υ pr., +|σὺ corr. 2; V 1 τοσ|αυτα pr., το+|σαῦτα corr. 2; 21 μεν|εξενος pr., μενε|+ξενος corr. 1; XVI 40 μηδεν|ες pr., μηδένες|++ corr. 2; 88 ον|είδη pr., ὀ+|νείδη corr. 2; XVIII 11 οὐδεν|α pr., οὐδε+|να corr. 2; XIX 272 δσ|ην pr., δ+|σην corr. 2; XXI 179 οὐδεν|ες pr., οὐδε+|νες corr. 4; ep. II 11 ἀξίωσ|ειε pr., ἀξιώ+|σειε corr. 2; 13 δσ|ον pr., δ+|σον corr. 2; V 6 σ|οι pr., σοι|++ corr. 2;

X 36 ωσ|τουδε pr., ὥστ'|+οὐδὲ corr. 2; XVI 88 ον|των pr., ο+|ντων corr. 2; XXI 9 πολ|λῶν pr., πολλῶν|λῶν corr. 2, πολ|λῶν restit. rad.; 30 ἑκάσ|την pr., ἑκά+|στην corr. 2; 67 ἀλ|λ pr., ἀλλ|+ corr. 2; ep. VIII 5 ἁπάν|των pr., ἁπάντων|+++ corr. 1;

V 23 τ' ἐ|κέλευεν pr., τ' +|ἐκέλευεν corr. 5; XII 11 γα|ρεμου pr., γαρ|+εμοῦ corr. 2; XIV 14 μη|δεμίαν pr., ++|μηδεμίαν corr. 2; 33 δ|σης pr., +|δσης corr. 2; XVIII 75 τε|κμαίρεσθαι pr., τεκ|+μαίρεσθαι corr. 2 (1b); XIX 270 νυ|ν pr., νῦν|+ corr. 2; ep. II 13 μὲν ε|κλήψεσθαι pr., μὲν +|εκλήψεσθαι corr. 2;

XI 10 βουλευ|ομένους pr., βουλευο|+μένους corr. 4, item XXI 98 cf. XXI 246; 18 ἀλλα|ει pr., ἀλλ' ἀεί|+ corr. 2; XIV 1 παρασκευ|άσασι pr., παρασκευά|+σασι corr. 4.

Orthographiam igitur codicis Urbinatis cum papyrorum scriptura, quae primis p. Chr. n. saeculis pervulgata fuit, arte cohaerere evicimus, quo librarios Byzantinos, — quod aliunde quoque constat —, munere suo in exprimendo archetypo diligentissime functos esse apparet, licet animi attentione hic illic remissa peccaverint: quod manifesto arguit litterarum similium Λ = Δ = Α, Γ = Τ = Π, Ο = Θ, C = Є haud rara confusio. Ac tamen in ipso illo libro primario inveniuntur loci, quibus oratoris memoria graviter deformata interpolationem quae vocatur libidinosam videatur redolere: quam ob rem Blassio concedendum est, Urbinatem, si eum „temere sequaris, longe ab recta via interdum deducere“ (vol. I p. VII, vol. II p. V; cf. Bock, de codicis

Isocratei Urbinatis Γ auctoritate, dissert. Heidelberg. 1883). Nihilo minus Urbinatis memoriam a viro quodam docto recensitam et consulto interpolatam esse plane nego. Immo etiam librariorum minus attentorum errores in eo positi sunt, ut non solum litteras, syllabas, voces minusculas confundant omittant repetant, sed etiam verborum formas usitatas vel voces vulgares insolitis ultro substituant, verba ex consuetudine coniuncta pro singularibus scribant, vocabula explicandi causa a lectore aliquo adiecta in textum recipiant. Unum hic commemorabo. Vocula quae est ἡμῖν in Urbinatis contextu haud raro sensu prorsus carens traditur, quae quomodo explicetur editores adhuc fugit (cf. Blass vol. II praef. p. V). Quam equidem e nota marginali C^{M}_{H} = σημείωσαι ortam esse existimo, cum littera C pro spiritu habita lectionem ἡμ(ῖν) suppeditaverit in textum interponendam (cf. ad XIII 70). Atque in codicibus omnibus nonnulla insita sunt menda, quae depravationem illam iam primis post orationes divulgatas temporibus initium cepisse probant, velut V 23 [ἐν τῷ γραμματείῳ γεγραμμένον] ἀφέμενος: corr. Blass; IX 15 om. γεωργίας καὶ τὰς: add. Fuhr; X 20 τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος cum hiatu: sed cf. Exc.Paris.; X 49 βίῳ παντὶ ἐλαττουμένους cum hiatu: sed cf. Pap.Berol.; XI 41 χρὴ τούτοις [τῶν ἐπιτηδευμάτων] ζητεῖν: corr. Blass; XIII 49 τὸν τόπον ὅλον τὸν περιέχοντα [τὴν νῆσον]: corr. Orelli; etc. Neque quisquam haec opinor recensionis de industria institutae vestigia esse contendet. Quae vero in Urbinate solo inveniuntur corrupta, si totum ambitum orationum spectas, rarissima sunt, rariora quidem, quam quae recensioni libidinosae possint tribui.

Quod ut evidentius etiam emineat, duas res notabilissimas mecum consideres, quae Urbinatis indolem planius demonstrant. Ac primum quidem dicam de **hiatu**, quem Benseleri potissimum cura ex Isocrate nunc toto fere expulsum esse supra monui, postquam codex Urbinas vulgatae memoriae sanandae totam fere materiam attulit (cf. Baiter apud Bremi 1831 p. 216/20, Benseler ad Areopag. 1832 p. 385/416: Excursus de hiatu, idem, de hiatu 1841 p. 9/61). Recentissimi vero editores in hiatu persequendo rigidiores censores videntur fuisse, quam qui oratori ipsi satisfecerint. Sane Isocrates unus omnium fastidiosissimus erat in verbis eligendis et collocandis; neque tamen desunt loci, quibus vocalium concursum sive indiligentia sive adeo indulgentia admiserit. Nimirum inter orationes iudiciales, quibus compositionis leges minus severae constitutae sunt, oratio Trapezitica viro cuidam Bosporano barbaro destinata, quamvis

diligens sit orator, hiatus vel graves haud raro neglexit. Atque etiam quattuor illae, quae reliquae sunt, orationes forenses, — de Amartyro subditicio hic non quaeretur —, hiatum in clausula quidem saepe ostendunt. Idem interdum in orationibus demonstrativis et deliberativis accidit (cf. XI 38 ἐπιτέλει· ὧν; XIV 74 παραλελεῖφθαι. ὅμως; 112 ἐφίκοντο; ἢ τίς; 149 ἀπώλοντο, οἱ δὲ; ep. VII 6 δύνῃ. ἴδοις: om. Φ), cum codex Urbinas solus nonnullas alias lectiones in clausula hiantes praebeat, quae in codicibus vulgatis alioqui corruptissimis verborum collocatione mutata correctae sunt (cf. XI 2, 11, XIV 83?, XV 44, XVII 36, 115, XVIII 39, etiam ep. IV 6). Insuper voculis quibusdam minimis hiatus excusatur, quamquam orator in illis quoque concursum plerumque vitavit, quae sunt τι, ὅτι, πρὸ, περὶ, καὶ (sed cf. Benseler ad Areop. p. 397 sq.), οὖν (cf. ad VI 51 append.), εἰ (cf. ad II 29 append.), ἢ (cf. ad VIII 8), ἂν (cf. ad VI 30, Benseler ad Areop. p. 297 et 404/5). Atque in forensibus quidem orationibus et in demonstrativis ultimis et in epistolis articuli cum hiatu positi exempla exstant me iudice non vocanda in dubium, cum ceteri quoque oratores hac in re minus severi fuerint, cf. ὦ ἄνδρες etc. in orationibus iudicialibus usitatissimum, ὁ ἀγὼν II 33, τῷ ἀδελφῷ VI 38, διὰ τοῦ ἰσθμοῦ XIX 110, τῷ ἑαυτοῦ XIX 122, πρὸ τοῦ ἀγῶνος XXI 39, τὰ ἡμέτερα XXI 155 (?), τὸ ἐμαυτοῦ ep. II 14, ὦ ἀρχίδαμε ep. III 1, οἱ ἀφαρέως ep. IV 1; cf. etiam [X] 35, 36, 38; εὖ οἶδ' VII 19 (εὖ om. ΘΛ), μὴ οὐ VIII 47. Quae cum ita sint, dubitatio vix reprimetur, utrum in corrigendis codicis Γ hiatibus, qui quidem clausula excusationem habent, memoriam vulgatam sequi liceat necne, praesertim cum oratio media in Γ solo hiatus rarissimos (in orationibus iudicialibus) habeat oratoris fortasse incuriae dandos, cf. V 36 μοι ἐνθάδε, VI 32 μᾶλλον ἐβουλήθη ἢ. Ac tamen levitati verborum consulens locis illis memoriam vulgatam probandam esse censui, quoniam verborum transpositio libidinosa librariorum error est communis: praeterquam quod in or. XVIII 67 cum Γ τοῦ δήμου. οἱ μὲν contra τῆς δημοκρατίας. οἱ μὲν in ΘΛ retinui, quia codicis Γ lectio sententiae magis accommodata est (oppositum est τὴν ἐκείνων), cum lectio vulgata ex antecedentibus explicetur (§ 66 τὴν μὲν δημοκρατίαν, cf. etiam IV 6). Quod vero hiatus vel elisione vel crasi tollendos hac ope e textu eiciendos esse duxi, adversante codice Γ factum est et repugnantibus inscriptionibus metricis, quae aetate illa in hac re summam libertatem fuisse declarant. Sed numerorum studio, in quo syllabae mutae suppri-

mendae sunt, haec concessi ad scribendi solum rationem pertinentia, non ad verba.

Alterum, quod diligentius nunc explicaturus sum, ad **verba brevi intervallo repetita** spectat, quae in Isocrate gravem virorum doctorum suspicionem moverunt. Immo iam editores Turicenses Benselerum (ad Areopag. p. 166/70, 178/80) secuti hoc vitiorum in Γ occurrentium genus insigne esse annotaverunt, „ut locum vocabuli alicuius occupaverit aliud, quod cum paullo ante positum esset, memoriae librarii male inhaereret" (p. III). Atque Blassius „circumspiciendum semper in lectionibus dubiis, numquid in proximis simile exstet, neque recipiendas, quarum origo eo modo explicetur" constituit (vol. II p. VI). Editores autem, cum oratorem diligentissimum earundem dictionum repetitionem plane fugisse existimaverint, scriptorem potius quam memoriam eius corruptam correxerunt. Nam cum sermonis cotidiani sit vocabula quaedam vel dictiones iterare, haec orationis et incultae et concitatae consuetudo etiam orationis politae et quodammodo factae auctoribus quibusdam in deliciis fuit, inter quos praecipue laudandi sunt auctor libelli de republica Atheniensium et Andocides (cf. I 113/7 ἱκετηρίαν τιθέναι decies) et Antisthenes et Hyperides (cf. Blass, Attische Beredsamkeit I² p. 277, 303, II² p. 343, III 2² p. 34). Sed alii quoque scriptores Attici elocutionis variandae normam a sophistis potissimum confirmatam nonnunquam neglexerunt, quod accuratius exposuerunt Volkmann, Rhetorik der Griechen und Römer² p. 517 sq.; Willems, du choix des mots chez les Attiques, Revue de l'instruction publique en Belgique 1903 p. 1/7; Stangl, Berliner philologische Wochenschrift 1905 col. 695/7. Quare cum scriptore qui nostra aetate floruit celeberrimo hanc legem universam propono: „Quand dans un discours on trouve des mots répétés, et qu' essayant de les corriger, on les trouve si propres qu' on gâterait le discours, il les faut laisser" (Pascal, Pensées I 10, cf. Sandys ad Paneg. § 81).

Iam apud Isocratem satis amplus est numerus locorum a nullodum in dubitationem vocatorum, qui eadem verba iterum iterumque posita demonstrant, ratione non habita illorum, quae propter oppositi studium videntur iterata esse velut XIII 45 πόνοις, XVII 48 ξένους et πολίτας, XVIII 44 ἀπορίας, 69 πολίταις, XIX 83 νόμων et λόγων, XXI 194 ἱκέτης, ep. VI 6 χάρις. Atque exempla ex omnibus orationibus congessi, — non solum ex iis, quae minus elaboratae videri possint velut Panathenaicus —, provincia hac ne omni quidem qua par erat cura absoluta:

II 6/7 γενομένης . . γενόμενος . . γενομένης . . γεγενημένῳ . . γεγενημένων, IV 9 ἐλθὼν . . ἦλθεν, 31/2 τιμώμενος καὶ θαυμαζόμενος . . ἀγαπωμένην καὶ θαυμαζομένην (errore om. Γ), VI 51 περὶ γὰρ ἄλλων πολλῶν (περι)φερόμενοι περὶ τούτου, VIII 18 τῶν ἄλλων bis, 29 τοῖς ἐπιλοίποις· ἐπιστὰς γὰρ ἐπὶ, 48 κάλλους bis, 58 ποιήσαντες . . ποιήσαντας, IX 45 εὑρίσκων . . εὑρεῖν, XII (28 τὴν ἀρχὴν bis cf. XIV 119 XVII 101, XX 61), 58 πιστεύοντας bis, 58/9 χρόνον διάγειν . . βίον διαγαγεῖν, XIII 36/7 περιγεγενημένοι . . γεγενημένων, 57 ἔσχεν bis cf. XIV 108/9, XVII 6, 58, 67, 90, XIX 192, 272, XXI 179; 66/9 κατέστησεν (bis) . . καταστάς . . κατέστη . . κατασταίην, 72 τούτου . . τοῦτ', XIV 17 ποιούμενον . . ποιήσασθαι cf. XIII 78/9, XVI 55/6 quater, XVII 133, XXI 35 ter, 190/1; 24 ἔχοντες bis, 61/2 κατέστησαν . . καθιστάναι, 71/2 κινδύνων . . κινδύνους, 81 ἀξιοῦντες bis, 115/6 πόλεις ter, 178 ἡμῶν ter, XV 59/62 ἕστηκεν . . τῶν τότε γενομένων . . κατέστητε . . ὑπέστητε . . τῶν ἐνθάδε γιγνομένων . . τῶν ἄλλων καθισταμένους (γιγνομένους Γ) . . γεγενημένους . . γενέσθαι, XVI 20 ὑπολαβόντες . . παραλαβόντες . . ἔλαβον, 29/30 γεγενημένων . . γιγνομένων . . ἐγίγνοντο . . γεγενημένης, 33 εἰπεῖν . . εἰρῆσθαι, 64 οἶμαι . . οἰόμεθα, 85 χρόνους . . χρόνον, XVII 20 πολέμων . . πόλεμον, 24 ἔχειν . . παρασχεῖν cf. § 59, 64, XIII 55, XX 122; 97 τῶν συμμάχων bis, XVIII 68 ἀποδόσεως . . ἀπόδοσιν, XIX 70 θεραπεύων . . θεραπεύειν, 97 ἔκ τε τῶν ἐπιτηδευμάτων καὶ τῶν συνουσιῶν bis, 169 λογίζεσθαι . . οὐκ ἀλόγως . . λογισάμενος, 180/2 τῆς ψυχῆς . . τὴν ψυχὴν . . ὑπὸ τῆς ψυχῆς . . καὶ τὴν ψυχὴν . . τὰς ψυχὰς . . τὰς ψυχάς, 260 ὄντες . . εἶναι . . ὄντες, 281/4 πλεονεξίαν . . πλεονεκτεῖν . . πλεονεκτήσειν . . πλεονεκτεῖν (πλεονεκτικοὺς $\Gamma_5\Theta$) . . πλεονεκτοῦσιν, 285/6 ἀμελοῦντας . . [ἀμελήσαντες] . . ἀμελήσαντας, XX 12 πρὸς σὲ λεγομένοις . . πρὸς ἅπαντας λέγειν . . πρὸς οὐδένα λέγειν, 35 γεγενημένων . . γενέσθαι . . γεγενημένα, 41 ἐπιχειρεῖν . . ἐπιχειρήσεις, 84 διατριφθέντος . . διατρίβοντας, 88/9 βουλευομένους . . συμβεβουλευκότες . . συμβουλεύειν, 145 ὀνομαστοτάτους . . ὀνομαστήν, XXI 35/6 τοὺς λόγους . . τοὺς λόγους . . ἐν λόγοις . . τοῖς λόγοις, 182 ἀποδεχομένους . . ἀποδέχονται, 244/5 μὲν οὖν bis, ep. IV 9 ὄντας bis, VII 19 σέσωκεν bis.

Accedunt alii loci creberrimi, qui cum viris doctis suspicionem moverint, iniuria tamen mutationes passi sunt: quos hic in unum collegisse satis habeo, cum ad lectiones singulas in appendice critica ea annotaverim, quae videbantur necessaria esse.

IV 32 εἰς ἐκείνην . . εἰς (corr. Bl. Naber) ἅπασαν, V 35/7 στρατοκλέους et στρατοκλέα quinquies (tertium del. Dobree), VII 1 διατριβόντων bis (poster. corr. W.), 13/14 τοὺς ἄλλους (del. Bl.) . . τῶν ἄλλων, VIII 39 πρὸς τὸ μνηστεύεσθαι (del. Naber) . . μνηστεύοντες, ibid. ἐπανελθούσης αὐτῆς (ex Luciano corr. Sauppe Bs. Bl.) . . τὴν αὐτὴν γνώμην ἔσχον περὶ αὐτῆς, 42/3 γενέσθαι κριτής . . γενέσθαι ⟨καὶ κληθῆναι add. ΘΛ, unde κληθῆναι Bl.⟩ κηδεστής, XI 48 ποίησιν bis (poster. corr. Bs.), XII 5 τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις . . τῶν ἄλλων (om. Γ^a Bs. Bl.) ζῴων . . ταῖς ἄλλαις εὐπορίαις, 12 τὴν πολιτείαν . . βελτίστην τῶν πολιτειῶν (corr. Bs.), 26 αὐτῇ χρῆσθαι . . αὐτὴν (del. Bs.) προέχειν, 41 τὴν αὐτὴν δὲ γνώμην . . τὴν αὐτὴν (corr. W. Bl.) φύσιν, 51 πλεῖστα bis (poster. corr. Bl.), XIII 32 ἅπαντας τοὺς ἐχθροὺς (del. Sauppe Bs. Bl.) . . τούς τ' ἐχθρούς, 41 καλῶς bis (poster. ex Γ_3 corr. BS. Bl.), XIV 11 πρὸς (corr. Cob. Bl.) ὑπερβολὴν . . πρὸς τοὺς ἀγῶνας, 38 τῶν ἄλλων ὠλιγώρησεν . . περὶ τῶν ἄλλων (corr. K.) . . καὶ τῶν λοιπῶν, 178 οὐδεμίαν τιμὴν . . ταύτην τὴν τιμὴν (corr. Bs.), XV 36

πόλιν bis (poster. del. Bs., cf. XIX 305), 49 πολίτας ἀπὸ πολιτῶν . . τῶν ἡμετέρων πολιτῶν (del. Bs.), XVIII 9 ἀπολωλεκότες bis (poster. corr. Bs.), 43 ἐπιθυμιῶν . . ἐπιθυμίαις (corr. B. sq.), 49 ἐνόμιζον bis (poster. corr. Mehler), 73 ἀνθρώπων bis (prius errore om. Γ pr. Bs.), XIX 41/2 διατρίβοντας (del. Bs.) . . διατρίβειν . . τῶν περὶ τὰς δίκας (τῶν περὶ τὰ δικαστήρια διατριβόντων Θ Λ), 118 ἅπαντας τούτους . . ἅπασι τοῖς Ἕλλησιν (corr. Bs.), 128 συμβέβηκεν bis (prius corr. Cob. Bl.), 168 διακειμένους bis (poster. corr. K. Bl.), 190 ὁ τοιοῦτος (del. Zeitz) . . τοιοῦτος ἂν εἴη, 214 ἐκ τούτων . . ὅτι ταῦτα (del. Zeitz), XX 132 προσαγορευομένοις bis (prius corr. Sauppe Bs. K.), XXI 13/14 πρὸς ἀλλήλους bis (poster. del. Bl.), 45 πόλις bis (poster. del. Bs., cf. § 89, 133), 135 εἰρημένοις bis (prius del. Dobree Bl.), 192 ῥηθῆναι bis (poster. del. C. B. Bs.), 255/6 ἁπασῶν τῶν . . πόλεων . . ταῦτα δὲ . . ἁπάσας ταύτας (del. BS. Bl.) . . πλὴν τῆς πόλεως (del. B. Bl.), 270 οὕτω δὲ bis (prius corr. Albrecht), ep. VII 19 τὴν πόλιν . . μίαν ἑκάστην τῶν πόλεων (del. Bl.), 21 τὰ μὲν γὰρ τοιαῦτα . . καὶ τῶν τοιούτων (displicet Blassio), IX 5 τὸν νῦν μέγαν . . τῶν νῦν (del. Bl.) παρόντων . . ἣν νῦν (om. ς ante C.) ἔχεις.

Nunc iam illas consideremus lectiones, quae, cum in Γ repetitionem quandam molestam exhibeant, in codicibus vulgatis hac macula liberae esse dicuntur. Quae sunt:

III 21/2 ἄν γε σωφρονῆθ᾽ (ἄν γέ μοι πεισθῆτε Λ Dobree Bl.) . . ὥστ᾽ ἐὰν σωφρονῆτε, IV 9 ἔσχεν . . εἶχεν (ἦγεν Λ cf. Bs. ad Areop. p. 92), V 19 δ᾽ αὐτῷ (del. Bl.) ἐξείη . . ὅτι αὐτὸς (om. Λ), 39 ἐκεῖνοι μάλιστ᾽ ἤμελλον πεισθήσεσθαι μὴ εἶναί μοι χρήματα Γ = § 7] ἐκείνους μάλιστ᾽ ⟨ἂν⟩ πείθειν ᾠόμην μηδὲν εἶναί μοι Λ Bl., VIII 24/5 ἐξ ὧν ἔμελλεν bis (poster. corr. Γ unc. pr.), 26/7 οὐ πολλῷ δ᾽ ὕστερον χρόνῳ (om. Θ Λ Bs. Bl.) . . . περὶ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους, 32/3 μετὰ μὲν τῶν πολιτῶν (τῆς πόλεως Λ, cf. Bs.) . . τοὺς βελτίστους τῶν πολιτῶν, 58 ποιήσαντες . . ποιήσαντας (δράσαντας Θ Λ Bs.), 62 οὐ μόνον αὐτὸν . . θεὸν αὐτὸν (om. Θ Λ Bs. Bl.) ἀντί, IX 7 εἰς (ἐπὶ Θ Λ edd.) τὴν χώραν . . εἰς τὰς αὐτῶν, 24 μειζόνως ἢ . . δοκεῖν εἶναι μείζους (εἶναι δοκεῖν ἀκριβεστέρας τῶν συμβαινόντων Θ Λ edd.), [X] 13 τοῖς ὅρκοις ἐμμένων . . τοῖς ὅρκοις (νόμοις Λ Π Σ Υ B. BS. Bl.) ἐμμένειν, XII 2 μετὰ πλείστων ἀγαθῶν . . μεθ᾽ ὧν (ὧν Λ Π, δι᾽ ὧν edd. exc. Bs.), 2/3 ἐξαμαρτανόντων ἢ . . ἐξαπατώντων . . ἐξαμαρτάνοντας (ἐξαπατῶντας Λ Π) . . ἐξαμαρτάνοντας, 45 τοὺς πλείστους ἂν εὕροιμεν πλεῖστα (μάλιστα Λ Π Bl.), 57 διδάσκετε τοὺς παῖδας . . διδάσκετ᾽ (ἐθίζετ᾽ Λ Π edd.) αὐτούς, 57/8 πιστοὶ καὶ δίκαιοι . . καὶ δικαιότατον (βεβαιότατον Λ Π edd. exc. Bs.), XIII 22 ἅπαντας τοὺς ἰδόντας . . ἅπαντας (om. Θ Λ edd. exc. Bs.) τοὺς ἀγῶνας cf. XVIII 58, XIX 118, XX 65/6 quater, XXI 55 ter; XIV 74 λέγειν περὶ . . εἰπεῖν (om. Θ Mehler) . . πολλάκις εἰρήκασιν, XV 16/7 σωτηρίαν . . σωτηρίας (ἐλευθερίας Θ Λ edd.), 30 συγγνώμης . . συγγνώμην (om. Θ Λ Bs. Bl.), XVI 8 τοῦ δὲ πατρὸς βασιλεύοντος . . οἱ πατέρες (πρόγονοι Θ Λ Bs. ad Areop. p. 166) κατέλιπον. 48 οἵαν εἶναι (om. Θ Λ Bs.) χρὴ παρὰ μόνοις ἡμῖν ἐστιν cf. § 78; 82 ταυτησὶ τῆς πόλεως . . μεγάλων πόλεων (om. Θ Λ Bs. ad Areop. p 166, 225), XVIII 18 χρὴ . . χρὴ (δεῖ Θ Λ Bs. cf. XIV 186), 41 ὀρθῶς . . καλῶς . . κακῶς . . καλῶς (ἀσφαλῶς Λ Bs.) . . ἁπλῶς (καλῶς Θ Λ), XIX 174 καὶ τοῖς τοιούτοις (τηλικούτοις Θ B. Bl.) . . τοιαύτης οὖν . . τηλικούτου πράγματος, 265 λέγειν (μένειν Θ Bl.) καὶ πονεῖν ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, XX 34 τοὺς μεγίστους (om. Θ) κινδύνους . . τῆς μεγίστης (om. Θ Λ Bs. Bl.) ὕβρεως. 49 τῆς νυκτὸς καὶ τῆς ἡμέρας . . οὐδεμίαν δ᾽ ἡμέραν (οὐδένα δὲ χρόνον Θ Λ edd.), 61 τῶν

παρόντων κακῶν . . τηλικούτων κακῶν (om. Θ Λ edd. plerique), 72 ἂν ἤδη (om. Θ Λ Bs. Bl.) μοι . . ὃν ἤδη μοι, 114/5 τυχεῖν δόξης . . τὴν καλλίστην δόξαν (om. Θ Λ edd.), XXI 23 παύσειν . . πεπαυμένος (om. Θ Λ Bl.), 106 δεσπότας τῶν Ἑλλήνων . . μέρος αὐτῷ τῶν Ἑλλήνων (om. Θ Λ Bs. ad Areop. p. 166), 113/4 τὸν λόγον τὸν περὶ τῶν πολιτειῶν . . περὶ ταύτης τῆς πολιτείας (om. Θ Λ B. Bs.), 144 συνιδεῖν (om. Θ Λ) . . καὶ ῥᾳδίως συνιδεῖν (del. Bs. K.), 162 τοὺς ἄλλους Ἕλληνας (τὰς ἄλλας πόλεις Θ Λ edd. exc. Bs.) . . τῶν μὲν Ἑλλήνων, ep. VII 10/12 ποιεῖσθαι . . ποιήσεις (om. Φ) . . ποιήσῃς . . ἐποιησάμην.

Sane in Γ nonnulli quidem leguntur loci, quibus voces quaedam manifesto librariorum errore repetitae sunt velut:

IV 30 νέος ὢν ἔτυχεν . . πρεσβύτερος ἦν ἔπραξεν (ων ετυχεν πραξεν Γ), V 43/4 μου κατέστη . . . μου ἐγένετο (μου κατέστη Γ: dubium), VI 4 οἴομαι . . ἄρξομαι (οἴομαι Γ), 25 τῶν ταλαιπωριῶν οὐδεὶς τῶν συγγενῶν (ταλαιποριων Γ), 36 ἢ πλείω χρήματ' εἰσήνεγκαν ἢ κάλλιον ἐχορήγησαν (ἢ καλλίω χρήματ' εἰσήνεγκαν Γ), 51 περὶ γὰρ . . . δια(περι Γ)φερόμενοι περὶ τούτου, VII 13 καλῶς ἔχειν . . τοῦ καινῶς (ἔχειν add. Γ) μετάσχωσιν, IX 18 μηδ' ἐπὶ ταῖς . . ἀλλ' (ἐπὶ add. Γ) τοῖς ὅπλοις, XIII 8 (ἀνδρὸς add. Γ) ποιεῖν ἀνδρὸς, XIV 103 τῆς ἡμετέρας ἡγεμονίας (εὐδαιμονίας Γ) . . πρὸς εὐδαιμονίαν, 167 τῆς νῦν ἡλικίας . . τῶν (νῦν add. Γ) συμφορῶν, XV 61/2 γιγνομένων . . καθισταμένους (γιγνομένους Γ: dubium) . . γεγενημένους . . γενέσθαι, XVII 4 τοῖς τοιούτοις . . τούτοις (τοῖς τοιούτοις Γ Dion.), 106 πλείστους . . πλείους (πλείστους Γ), XVIII 16 κινδύνων . . κακῶν (κινδύνων Γ), XIX 179 οὖν τὸν τρόπον . . καὶ τὸν χρόνον (τρόπον Γ), 185 ἐκείνην δὲ τὴν ἐπιστήμην . . καὶ τῇ φύσει καὶ ταῖς ἐπιμελείαις (ἐπιστήμαις Γ), 319 inter καταστάντες et πολλοὺς quaedam repetita, XX 12 τὰς δυσχερείας . . ἐπὶ γήρως (ἐν δυσχερείᾳ Γ), XXI 101 ἀρχηγοῖς γεγενημένοις . . καὶ διδασκάλους τῶν τοιούτων (γεγόνασιν add. Γ cf. § 209), 172 ἔδοσαν τῇ πόλει τὴν ἀναίρεσιν . . ὅτι τἀναντία (τῇ πόλει add. Γ) τυγχάνω λέγων.

Sed ut concedamus, librarios hac in re nonnunquam erravisse, quod in libris vulgatis haud rarius accidit, tamen Isocratis usus a verbis repetitis non omnino abhorrens pro certo nunc exploratus est; quem ex arbitrio corrigere nunquam placebit. Quin etiam codicis Urbinatis auctoritas memoria vulgata multo superior evidenter apparuit, cum permultas lectiones illas, quae in cod. Γ solo repetitionem habent, casu effectas esse vix possit credi. Nimirum vocabula iterata e memoria vulgata de industria expulsa sunt, ut elocutione variata sermo cultus conspiceretur et — ut correctoribus videbatur — Isocrate dignus. Quod recensionis consulto institutae luculentissimum est indicium, cuius norma fuerit memoriam traditam ex opinione temere concepta exaequare explanare perpolire. Quem corruptionis fontem in codicibus vulgatis aliis quoque locis conspicuum longius persequi supersedeo, quoniam diversitas memoriae Urbinatis intactae et vulgatae libidinose recensitae iam satis explicata est.

Perpauca de mendis in memoria vulgata quoque frequentissimis subiciam, quae casu quodam nata sunt aut litteris similibus

commutatis aut scriptura continua male disiuncta aut alio quodam errore. Quae paucis exemplis allatis hic illustro: IV 46 παῖς ὢν > πεσὼν Λ, V 42 ἔφηνέ τις ὡς οὖσαν > ἔφην ἔτι σώσουσαν Λ, VI 11 φθόηι σχόμενον > φθόη ἰσχόμενον Λ, 18 πασῖνος πάρον > πᾶσιν οὖς παρὼν Λ, 26 ἀνταρκεῖν > αὐταρκεῖν Λ cf. XVI 79, IX 14 πεδίων > παίδων Θ, 18 μηδένα τῶν > μηδὲν αὐτῶν Θ cf. ep. I 2, ὁσιότητος > θειότητος Θ Λ, XIII 67 αὐτονομίας > αὐτὸν μίας Θ, XIV 142 τὸ ναυτικὸν > τὸν ἀττικὸν Θ, 161 κιλικίᾳ > λυκία Θ, 184 ἅμα > ἄλλα Θ, XV 53 ἱκετῶν > οἰκετῶν Θ, 61 οἷ πῶς > ὅπως Θ Λ, 61 ἐποισόντων > ποιησάντων Θ Λ pr., XVI 35 με λέγων > μελετῶν Θ Λ, 62 ἔστιν ἃς > τινὰς Θ Λ, XVII 137 ὁπότερον > ὃ πρότερον Θ^{a}, XVIII 12 χρησαμένην > χρησομένην Λ > χρήσωμαι νῦν ἦν Θ, 24 εἴ ποτε > ἐνίοτε Λ, 38 ἂν τοὺς > αὐτοὺς Θ, 52 μένειν > μὲν εἶναι Θ, 64 ποιεῖν > νοεῖν Θ Λ, 72 μικρῷ μὲν ὄντας > μικροῦ μένοντας Θ, XIX 17 εὖ τυγχάνει > ἐντυγχάνει Θ Λ, 93 ὀνήτωρ > ὁ ῥήτωρ Θ, 103 φλαῦρον > φλυαρὸν Θ, 314 γε λανθάνειν > γελᾶν θανεῖν Θ, XXI 55 ἀλλ' ἅπερ ἅπασιν > ἀλλὰ παρὰ πᾶσιν Θ Λ, 63 σκιωναίων > σικυωναίων Θ, 131 τὴν εἰκῇ > τῇ νίκῃ Θ, 260 παρὰ πλείοσι > παραπλήσιον Θ Λ, ep. IX 3 ᾗ σοῦ > ἧς οὐ Φ etc.

Sed quoniam Urbinatis memoriam totam nunquam recensitam h. e. ex arbitrio immutatam esse statuimus, obiciat quispiam, recensionem quandam subscriptionibus prodi, quae in codice illo sub orationibus nonnullis exstent. Nempe sub Helena (or. I.) legitur ἑλικώνιος, sub Busiride (or. II.) ἑλικώνιος ἅμα τοῖς ἑταίροις θεοδώρωι καὶ εὐσταθίωι, sub oratione contra sophistas (or. III.) ἑλικώνιος ἅμα ὑπατίωι, sub Euagora (or. IV.) ἑλικώνιος ἅμα τῷ ἑταίρωι εὐσταθίῳ, sub oratione ad Demonicum (or. V.) ἅμα τῶι ἑταίρωι εὐσταθίωι, sub oratione ad Nicoclem (or. VI.) θεόδωρος ἅμα εὐσταθίῳ. Inde **Heliconium** quendam cum sociis **Theodoro, Eustathio, Hypatio** in Isocrate aliquando elaboravisse elucet, id quod non ante finem aevi Romani, immo ipsis Byzantinorum temporibus factum esse nomina propria Heliconii, Eustathii, Hypatii sine dubio testantur. Neque Usenerus erraverit, qui ad Suidae notam (s. v.) provocans Ἑλικώνιος σοφιστὴς Βυζάντιος· ἔγραψε χρονικὴν ἐπιτομὴν ἀπὸ τοῦ Ἀδὰμ μέχρι Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου ἐν βιβλίοις ι Heliconium illum initio saeculi V. p. Chr. n. floruisse censuit (Unser Platontext, Nachrichten der Göttinger Gesellschaft der Wissensch. 1892 p. 186). Sed qualis fuerit virorum illorum opera

et labor? Virorum Byzantinorum non fuisse, scripta quaedam antiqua exemplis variis adhibitis ad rationem philologicam pertractare et novam editionem criticam curare nunc inter nos constat, postquam temporum priorum — aetatis Alexandrinae et Romanae — studia et peccata papyris inventis illustrata sunt. Atque etiam codicem Urbinatem ex libro saeculi I. vel II. p. Chr. n. uno alterove codice interiecto accuratissime descriptum esse ex mendis scripturae orthographicis pro certo collegimus; quae in Heliconii iam exemplo certe fuerunt et ab illo neglecta sunt. Quam ob rem Urbinatis auctoritatem, qualem supra definivimus, ad Heliconii istius „recensionem" referri non posse in propatulo est. Viros autem illos, qui curae suae memoriam posteris gloriose servandam esse duxerunt, nihil aliud fecisse existimaverim, quam ut — ex communi librariorum usu — librum suum (Urbinatis archetypum) perlegerent et ad exemplum depictum emendarent, lectionibus quibusdam gravioribus vel ex codice illo vel ex alio aliunde arcessito in margine adiectis. Cuius operae vestigia in Urbinate etiamnunc deprehenduntur, cum lectiones variae ab ipso librario (et a corr. 2?) ex archetypo additae, quae vulgatam nonnunquam memoriam exhibent, viri alicuius docti industriam videantur redolere. Atque codicis Urbinatis orationes sex priores solae, id quod subscriptiones affirmant, ab Heliconio et sociis retractatae sunt, cum lectiones variae in Γ a manu prima litteris uncialibus appictae ultra orationis octavae initium non exstent. Ac tamen diiudicari omnino non potest, utrum lectionis varietas illa iam in Heliconii exemplo antiquo fuerit an ex alio libro ab eo hausta sit, qua de causa omnis quattuorvirorum illorum labor nobis ambiguus et prorsus inexplicabilis est. Quod vero in Urbinatis memoriam lectiones quaedam vulgatae contaminatione aliquando illatae sunt, in plurimis codicibus et antiquissimis et recentissimis idem accidere cernimus; quin etiam fieri vix potuit, quin auctoris ab omnibus laudati et lectitati memoria a contaminatione plane intacta relinqueretur. Laudandi tamen sunt quam maxime librarii, qui lectiones ex alio fonte petitas distincte expresserunt, ut exemplar illud perantiquum in Urbinate rescriptum integrum prope in manus nostras venerit.

In veterum studia Isocratea altius nos deducunt vestigia **stichometriae** pristinae in Γ servata, quam bibliopolis editoribusve Alexandrinis deberi probabile est. De qua primus egit Carolus Fuhr,

Mus.Rhen. XXXVII 1882 p. 468/71, quem hic illic correxit Buermann II p. 21 verbis nonnullis additis de litteris marginalibus in Γ, quae ad partitionem oratoriam pertinent. Atque versuum summam in Γ nonnisi sub Busiride (= ΗΗΗΓΔΔΔΔ) indicatam animadvertimus, quacum conveniunt litterae marginales versus centenos numerantes

Δ (= Α) ante § 13 ὅς οὐ μόνον
Β ante § 25 τούτων αἴτιοι
Γ ante § 38 γεγονότας.

Praeterea litterae marginales ad stichometriam spectantes exstant ad

Helenam: Α ante § 14 θεν φησι
Γ ante § 39 μετὰ γὰρ (add. $Γ_2$)
Δ ante § 52 τῶν ἀγώνων (add. $Γ_2$)
Ε ante § 64 κατέστησεν

contra sophistas: Α ante § 12 αὐτούς. τίς γὰρ

Euagoram: Α ante § 14 πων διαφθαρέντων
Β ante § 27 σας τύχας
Δ ante § 50 οἵτινες
Ε ante § 61 ὑπερμεγέθεις
Ζ ante § 72 των οὐδὲν κατέλιπεν.

En quattuor priores codicis orationes litteris illis (non numeris: deest ϛ velut in Demosthene) exornatas, quas in posterioribus addere librariorum incuria supersedit. Si vero versus editionis Teubnerianae (Benseleri Blassiique) cum codicis stichometria comparaveris, centenos ordinis antiqui versus ad 93 vel 94 fere editionis illius redigi cognoscas; cf. Helen. Α = 94, Γ = 189, Δ = 93, Ε = 97, Busir. Α = 96, Β = 92, Γ = 97, c. sophist. Α = 94, Euag. Α = 96, Β = 91, Δ = 183, Ε = 90, Ζ = 90, unde Euagoram in exemplari, quod stichometria distinguebatur, aliquanto spatiosius exaratum fuisse colligitur. Versus Teubnerianus autem quadragenas circiter litteras complectitur, quo computato stichometriae versus 37 fere litterarum efficitur cum versu contionum Demosthenicarum plane congruens (cf. Keil, Analecta Isocratea p. 78, Burger, Stichometrische Untersuchungen zu Demosthenes und Herodot 1892 p. 30). — Paragraphos quae dicitur, quae in papyris nunc haud semel reperta est, in Γ hic illic recurrit, raro a manu prima (>— ad Helen. § 39 init.), saepius a corr. 2 ex archetypo addita.

Quae cum ita sint, statuendum est codicem Urbinatem originem petivisse ex editione aliqua oratorum Atticorum perantiqua, quam,

cum Urbinatis scriptura corrupta archetypum saeculi I./II. p. Chr. n. prodat, temporibus Alexandrinis iure ascribamus. Sed priusquam subtilius inquiramus, quando et a quonam homine litterato editio illa facta sit, nunc primum ad quaestionem accedamus, quae viris doctis oborta est de **duplici orationum Isocratearum recensione** ab ipso oratore instituta. Ac primus Orellius (Antid. 1814 p. 210, 276/9, 301/2 et 241, 304) de orationibus duabus, de permutatione dico et de pace, ab oratore retractatis cogitavit, quam sententiam de Antidosi quidem defenderunt Blassius (ad § 222, 225, 235, cf. Attische Bereds. II[2] p. 311 n. 8) et Albrechtius (Jahresberichte des philolog. Vereins zu Berlin XI 1885 p. 53/4), cum repugnaverint Havetius (in editione 1862 passim), Keilius (Anal. Isocr. 1886 p. 148/9), ipse (codd. auctor. p. 129/33), Muenscherus (Quaest. Isocr. 1895 p. 80/88). Blassium autem, qui orationem Trapeziticam quoque duplicis recensionis vestigia praebere existimavit, satis iam redarguit Albrechtius (l. l.).

Totam hanc quaestionem brevissime retractantes codicum Γ et Θ(Λ) memoriam diversissimam esse in Antidosi (cf. imprimis § 28, 98, 116, 136, 222/4), ut Orellii sententia aliquatenus commendari videatur, confitemur. At vero lectio vulgata in § 28, quae aperte nata est ex § 4, tribuenda est interpolatori. De § 98 dubitari potest, cum verba in Θ addita in Γ propter homoeoteleuton fortasse exciderint: certe necessaria non sunt, immo aliquanto molestiora, cf. ἐκεῖνος ὁ λόγος . . ἔχω γὰρ λόγον. Additamentum vulgatum in § 116 cum sententia manifesto pugnat, quoniam res a lochagis taxiarchisque gestae nihil faciunt ad Timothei laudem. Vitium in § 136 codici Γ per homoeoteleuton illatum iam a corr. 2 deletum est: verba a manu prima errore omissa desiderari patet, cum verba τῶν ᾀδομένων καὶ τραγῳδουμένων nisi ad τῶν προγεγενημένων referri non queant. Paulo difficilius vero de sententiarum in § 222/3 (Γ) et 224 (Θ) forma duplici iudicatur, quam tamen ad duplicem orationis recensionem scriptori dandam pertinere non posse sententiarum contextum attente consideranti perspicuum erit. Nam cum orator in iis quae antecedunt de sophistis illis dixerit, qui merito hoc nomine censerentur (§ 216 sq.), inde a § 221 illos perstringit, qui se sophistas iniuria profiteantur (τῶν προσποιουμένων εἶναι σοφιστῶν). Quos incontinentia quadam (ἀκρασίᾳ) ad voluptates quidem pronos tamen de adolescentibus temere corruptis defendit, cum neminem sui commodi gratia ita intemperantem esse credat, ut discipulos quoque

intemperantes esse velit: scilicet a quibus magister plane destitueretur, nisi temeritate illa abstineret. Atque ex Sicilia, e Ponto, aliunde iuvenes Athenas proficisci, ut instituerentur a magistris multo melioribus, quam quos domi invenirent affirmat (§ 226). Unde antistites illius disciplinae omnino omnes nihil pravi moliri probatur. — Videsne quantum ab oratoris consilio distet codicis Θ sententia, quae sophistas quosdam erga discipulos revera incontinentiae inservire profitetur? Atque etiam ea, quae in Θ orator in adversarium incurrens de discrimine inter se et homines istos praedicat, aperte pugnant cum sequentibus, quae ad ipsum Isocratem non nisi foedissima hac interpolatione πλεόντων ⟨ὡς ἡμᾶς⟩ relata cum antecedentibus in Θ incondite quodammodo copulata sunt, cf. ἐξ ἁπάντων τῶν τόπων αὐτοὺς πλέοντας. περὶ ὧν ἂν ἡδέως . . πυθοίμην, τίνα ποτὲ γνώμην ἔχει περὶ τῶν . . δεῦρο πλεόντων ⟨ὡς ἡμᾶς⟩. E contrario paragraphi 225 verba cum § 223 apte connexa sunt, neque repetitio, id quod Blassio visum est, inest molesta, quoniam in § 225 ex advenarum iudicio demonstratur, quod orator antea e re ipsa probaverat, sophistas ne τοὺς προσποιουμένους εἶναι quidem discipulos intemperantia corrumpendos allicere posse. Missa igitur facta Blassii de hoc loco opinione Albrechtio quidem probata (qui tamen codicis Γ recensionem tempore priorem existimat, cf. Jahresberichte XVI 1890 p. 20), obsistemus iam Benselero, Keilio, Muenschero, qui in Θ Isocratis manum, in Γ interpolatoris tenere se opinati sunt. Equidem Havetium secutus codicem Θ misere interpolatum esse contendo, quae opinio ad memoriae illius indolem egregie quadrat, in Γ non est ferenda.

Etenim in aliis quoque orationibus memoriae vulgatae praeter mutationes leves additamenta maiora ab interpolatore aliquo illata sunt e. g. in Trapezitico § 7 (Λ), Euagora § 47 (Θ), Plataico § 46 (ΘΛ ex XIV 168), ep. IV 10 (Φ), quibus accedunt verba exemplari Dionysiano perperam inserta in Trapezit. § 6 et Paneg. § 98 (ex § 108); item in Λ verba quaedam consulto omissa sunt in oratione de bigis § 10. At omnibus his locis de secundis Isocratis curis ob eam ipsam causam cogitari nequit, quod summus ille verborum artifex orationes suas nisi perpolitas in lucem non emisit, quarum retractandarum nulla potest fingi necessitas.

Alia est ratio partium illarum, quas orator ipse in Antidosi ex orationibus prioribus repetivit, cum occasione oblata verba laudata vel in brevius contrahere vel immutare potuerit, si modo orationum illarum summam intactam relinqueret. Quod quidem in oratione ad Nicoclem

factum esse nego, cuius formam genuinam in Antidosi traditam esse infra (c. IV) pluribus evincam. Sed orationis de pace partes in Antidosi interruptae sunt, quoniam verbis ex orationis parte priore allatis (§ 25 ἡγοῦμαι δὲ δεῖν ad § 56 fin.) postrema orationis verba inde a § 132 subiuncta sunt transitus forma mutata: τίς οὖν ἀπαλλαγὴ γενήσεται τῆς ταραχῆς ταύτης; καὶ πῶς ἐπανορθωσόμεθα τὰ τῆς πόλεως πράγματα καὶ βελτίω ποιήσομεν; Porro sublata est maior paragraphi 132 pars, item pars paragraphi 133 (συμβούλους ποιώμεθα ad βουληθεῖμεν καί), at post § 133 addita est sententia ἢν οὖν ἀσκῆτε (cf. § 13) καὶ προσδέχησθε τοὺς χρηστοὺς ἀντὶ τῶν πονηρῶν, ὥσπερ καὶ τὸ παλαιόν, βέλτιον ἕξετε χρῆσθαι καὶ τοῖς δημαγωγοῖς καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πολιτευομένοις. Quam sequuntur haec verba paragrapho 134 substituta δεύτερον δ' ἢν ἐπιχειρῆτε τὰς συμμαχίας κτᾶσθαι μὴ πολέμοις μηδὲ πολιορκίαις, ἀλλ' εὐεργεσίαις· προσήκει γὰρ τὰς μὲν φιλίας ἐκ τούτων γίγνεσθαι, τὰς δ' ἔχθρας ἐξ ὧν νῦν τυγχάνομεν πράττοντες. Cuius mutationis causam fuisse rei publicae conditionem post finem belli socialis depravatam nunc*) statuo, quoniam paragraphi 134 consilia tribus annis post orationem editam, cum Antidosis in publicum emitteretur, ridiculum quoddam habitura fuerint: rei publicae Atheniensium enim id maxime tunc agendum erat, non ut civitates foederatas humaniter tractaret, sed ut socios qui defecerant comitate sibi reconciliaret. Parte vero paragraphi 133 de malis consiliorum auctoribus reiecta sententia illa de contionatoribus nova suppleta est, qua orationis contextus in §§ 133 et 134 concinne formatur: πρῶτον ἢν παυσώμεθα . . . ἢν οὖν ἀσκῆτε καὶ . . βέλτιον ἕξετε χρῆσθαι κτέ = δεύτερον δ' ἢν ἐπιχειρῆτε . . . προσήκει γὰρ κτέ. Quod si orationis eiusdem particula § 52 καὶ τοὺς αὐτοὺς τούτους ad § 53 fin. in Antidosi non legitur, explicationem nunc quaero idoneam, utrum verba illa ab oratore consilio rescissa an a librario aliquo aut consulto aut errore omissa sint.

Refutata igitur opinione de duplici orationum Isocratearum recensione, quam orator ipse instituerit, iam nobis explanandum est, quomodo et quando memoria Isocratis interpolata, quam vulgatam vocamus, exorta sit. Quod ut diiudicemus, primum perquirendum est, utrum memoriae huius fons diversus fuerit ab Urbinatis origine

*) Cf. codd. auctor. p. 130/1, contra quae recte disputavit Muenscherus quaest. Isocr. p. 78.

an idem. Atque hoc mihi dudum constat, — postquam Keilius rem iam attigit in Anal. Isocr. p. 73/88 —, omnem codicum Isocrateorum memoriam **ex uno eodemque archetypo** fluxisse (cf. codd. auctor. p. 60 sq.). Quod cum negavisset Muenscherus (Quaestiones Isocrateae, Dissert. Gotting. 1895 p. 3 sq.), accuratius exposui in Philologi vol. LV 1896 p. 667/74 („Zur Textgeschichte des Isokrates“) adversante eodem Muenschero („Die Isokratesüberlieferung“ Philolog. vol. LVIII 1899 p. 88/110), quem iterum redargui paucis in Blätter für das bayer. Gymnas.-Schulwesen XXXVII 1901 p. 356/7. Sed omni hac disceptatione neglecta breviter argumenta proponamus, quae communem illam memoriae Isocrateae originem demonstrant. Sunt vero haec:

1. Corporis Isocratei ambitus hodie triginta constans orationibus et epistolis. Atque 21 sunt orationes, 9 epistolae, in quibus eligendis numerorum quoddam studium momenti fuisse apparet. Nam ter septenae sunt orationes, 7 iudiciales (sex proprie iudiciales et Antidosis, quae apud iudices habitam se fert), 7 demonstrativae sophistice comparatae (tres admonitiones et quattuor laudationes, cf. τῶν τεσσάρων ἐγκωμίων in argum. ad orationem c. sophist. et ἐνίκησε δὲ αὐτὸν τὸν λόγον ἐγκώμιον μᾶλλον λέγεσθαι in argum. ad Euag.: Keil, Anal. Isocr. p. 75), 7 deliberativae. Quibuscum cohaerent epistolae quae vocantur ter ternae, prooemia tria (I. II. III.), litterae commendaticiae trinae (IV. V. VI.), trinae denique ad res Macedonum pertinentes (VII. VIII. IX.). Quae quidem omnia non in omnibus exstant libris, quoniam in Γ desunt orationes duae in Euthynum amartyrus et in Callimachum. In Λ vero epistolae desiderantur omnes, quas e memoria vulgata — id quod infra docebo — cod. Φ servavit, cum Θ partem tantum orationum complexus nunc in censum omnino non veniat. Quod quomodo explicetur subinde examinemus.

Veteres sub Isocratis nomine orationes sexaginta legisse testis nobis est Ps.-Plutarchus, vit. X oratt. p. 838D (cf. Phot. Bibl. cod. 260 p. 486b 5 Bekker), qui Dionysium Halicarnaseum ex iis 25, Caecilium 28 genuinas agnovisse asserit.*) Atque Caecilianus quidem

*) Cf. René Vatry, Recherches sur les ouvrages d'Isocrate que n'avons plus, Mémoires de l'Académie des Inscr. et Belles lettres XIII p. 162 sq. Quod vero Suidas s. v. Ἰσοκράτης eundem 32 orationes conscripsisse tradidit, errori tribuendum puto. Atque Bakius (Scholica hypomnem. III p. 49) numerum 32 apud Suidam iure videtur delevisse, quoniam in sequentibus in universum dicitur οἱ δὲ λόγοι αὐτοῦ πλεῖστοι (cf. Blass, Attische Bereds. II[2] p. 103/4).

numerus ad codicem Urbinatem quadrat, siquidem epistolas orationum loco numeramus: sunt vero λόγοι ἐπιστολικοί. Nihilo setius delectus illius auctorem primum non fuisse Caecilium ex eo concluditur, quod orationum subditiciarum, in corpus illud non receptarum, — praeter indicem mancum ab auctore vitae Isocrateae (Zosimo qui dicitur p. 258 Westerm.) e veterum doctrina exscriptum — apud veteres rarissima exstant vestigia a Keilio (Anal. Isocr. p. 102/4) collecta:

1) Ἰσοκράτης ἀνδρωδῶς ἐναριθμεῖσθαι τῷ καταλόγῳ Poll. II 20.

2) αὐθέντης· ὁ αὐτόχειρ ἢ ὁ αὐτὸν ἀναιρῶν· διὸ παρ' Ἰσοκράτει αὐθέντης. Suid. s. v. (Cram. An. Paris. IV 167, 6); cf. αὐτόχειρ apud Isocratem VI 19, XIV 111, XV 29, XX 150.

3) δικογραφικῶς ὡς Ἰσοκράτης Poll. VIII 24.

4) ζητητής· . . . οὗτος δὲ ὁ ῥήτωρ (scil. Ἀνδοκίδης) καὶ ζητητής ποτε ἐγένετο, ὥς φησι Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης καὶ Πλάτων ὁ κωμικὸς Πρέσβεσιν Harp. s. v. (cf. Sauppe ad Lysiae fgm. 282).

5) νύμφη· πηγή· καὶ ἡ νεόγαμος γυνή· Ἰσοκράτης Bachm. An.Gr. I 310, 9 (cf. Phot., Suid s. v.): cf. Λήδην ἐνύμφευσε Helen. § 59.

6) ⟨Isocratis⟩: *Etsi acerbum vobis quod dicturus sum videbitur, tamen aequo animo audiendum est, nam fere verum consilium, quod initio auditu grave est, in posterum cognita utilitate fit iucundum.* Rutil. Lup. II 19 (ex Gorgia posteriore); cf. Isocr. XXI 156.

7) τὴν Τροιζῆνα νῆσον λέγει Ἰσοκράτης γείτονα μὲν τῶν Ἀθηναίων μικρὸν δὲ πόρρωθεν οὖσαν, ἵνα, ἐὰν (εἰ codd.) καὶ συμβῇ ἀπολέσθαι τοὺς Ἕλληνας, τελευταῖον ἀπολεῖται τὰ γένη ἐκεῖ ὄντα. Schol.Aristid. p. 608 D (corruptissimum, cf. Keil l. l.).

Adicias: 8) ἐκδικάσασθαι Ἰσοκράτης ἀντὶ τοῦ ἄδικον ἐκπρᾶξαι διὰ τὸ δικάζεσθαι Etym. M. 321, 18 s. v.

9) Ἰσοκράτης δὲ τὴν ἐπίκληρον ἐν τῷ πρὸς Λυσίαν ἐπικληρῖτιν ἐκάλεσεν. Etym. M. 359, 31 v. ἐπίδικος.*)

Contra ex orationibus servatis laudaverunt Harpocratio sedecim et epistolas II. IV. VII., Bekkeri lexicographi quindecim et epistolas VI. VII., Priscianus decem et epistolam VI., item Pollux, ceteras alii, ut ex omnibus 21 orationibus traditis vix una contra Lochitem

*) Mirum est quod praeter no. 9 (ἐν τῷ πρὸς Λυσίαν) nusquam locus indicatus est, unde Isocratis frustulum sumptum sit. Quamobrem Sauppius (Oratt. Att. II p. 227) etiam haec aut pro subditiciis habenda aut alio modo removenda esse sibi persuasit. Certe grammaticorum posteriorum testimonia haec non ex orationibus ipsis, sed ex veterum studiis videntur hausta esse. — Verba quae Keilius praeterea ex Bekkeri An.Gr. p. 143, 9 attulit, apud Isocratem XII 62 re vera leguntur.

testimonio veterum careat (sed cf. recens Scholion Demosth. p. 155D). Quid quod corpus illud Isocrateum non solum ante grammaticos illos, sed etiam ante Dionysium et Caecilium constitutum esse declaratur, qui praeter orationes nobis traditas legerint nullam?

Atque notandum est, inter orationes servatas unam ad Demonicum scriptam veterum suspicionem movisse. Quam Harpocratio Isocrati Apolloniatae tribuit (s. v. ἐπακτὸς ὅρκος: contra Ἰσοκράτης παραινέσεσιν s. v. παράκλησις = Demon. § 5), cum vitae Isocrateae auctor (p. 255 Westerm.) testis sit, „paraeneses“ — admonitiones omnes secundum hunc auctorem: sed etiam oratio ad Demonicum inscripta erat „παραινέσεις“, cf. Harpocr., Prisc., cod. Υ — a quibusdam (τινες) in suspicionem vocatas esse διὰ τὸ ἀσθενὲς τῆς φράσεως. Dionysius autem orationem illam Isocratis esse probavit de Isocr. c. 10: ἔχων δὲ πολλοὺς αὐτοῦ καὶ ἄλλους διεξιέναι λόγους πρὸς πόλεις (= XII.) τε καὶ δυνάστας (= XI.) καὶ ἰδιώτας (= X.) γραφέντας, ὧν οἱ μὲν . ., οἱ δὲ . ., οἱ δὲ κοσμίους τῶν ἰδιωτῶν ἀπεργάζονται τοὺς βίους, ἃ δεῖ πράττειν ἕκαστον ὑποτιθέμενοι (cf. X § 5). Neque quisquam ex tanta testium recentiorum caterva, qui orationem illam laudaverunt, ne verbo quidem dubitare se professus est. Caeciliumne, qui plures etiam orationes retinuit quam Dionysius, eam abiecisse putemus? Minime. Unde viros doctos, qui de Demonicea dubitaverunt, temporibus Dionysio multo superioribus floruisse apparet, quorum sententiam strenuus doctrinae antiquae investigator Harpocratio uno certe loco commemoravit: vitae Isocrateae memoria doctrinam Hermippeam videtur sapere. Quam opinionem, haud spernendam nobis, improbavit corporis Isocratei redactor, cuius iudicio posteriores omnes acquievisse elucet.

Iam vero quomodo factum sit explicemus, ut memoria vulgata (Λ) etiam plures orationes servatae sint quam Urbinate. Utrum orationes duas in Γ deficientes in corpore principe defuisse, in libris vulgatis autem postea additas esse statuemus an eas in Urbinatis memoria casu et fortuito excidisse aut consulto (a Caecilio fortasse) seiunctas esse sumemus? Atque respicias quaeso, orationes illas, inter quas est Amartyrus certe ab Isocrate non compositus (cf. c. IV), et veterum testimoniis creberrimis et numerorum studio in delectu conspicuo (nam orationes septenae selectae sunt) satis firmari, praesertim cum oratio Callimachea ab Harpocratione, cuius auctoritas ipsum Urbinatem superat, saepius laudetur. Qua ex re orationes duas in Urbinate, cuius ordo in orationibus forensibus valde confusus est (cf. p. XCII), casu intercidisse veri est

simillimum. Quae cum ita sint, et Urbinatis et librorum vulgatorum memoriam conicio profectam esse ex eodem corpore, quod iam aetate quae vocatur Alexandrina conditum esse admodum probabile est, praesertim cum stichometriae reliquiae in Γ ad illius aevi editionem videantur referendae esse. Quod ut certius etiam cognoscatur, deinceps consideretur a nobis

2. Orationum ordo in codicibus traditus, quem sub uno conspectu hic propono:

	Γ	Λ	Θ : Φ	Photius
	Helen.	ad Demon.	—	ad Demon.
	Busir.	ad Nic.	—	ad Nic.
	c. soph.	Nicocl.	—	Nicocl.
	Euag.	Paneg.	Θ	de pace
5	ad Demon.	Helen.	Helen.	Paneg.
	ad Nic.	Euag.	Euag.	Areop.
	Nicocl.	Busir.	Busir.	Plat.
	Archid.	c. soph.	Paneg.	Archid.
	Areop.	Plat.	Areop.	c. soph.
10	Plat.	Areop.	Plat.	Busir.
	de pace	Philipp.	Archid.	Helen.
	Philipp.	de pace	c. soph.	Euag.
	Panath.	Archid.	Philipp.	Philipp.
	Paneg.	Panath.	Panath.	Panath.
15	Aegin.	Antid.	Antid.	Antid.
	Antid.	c. Loch.	—	in Call.
	de big.	in Euthyn.	—	Aegin.
	Trapez.	de big.	—	in Euthyn.
	c. Loch.	Aegin.	—	Trapez.
20	—	Trapez.	—	c. Loch.
	—	in Call.	Φ	—
	ad Dionys.	—	ad Archid.	ad Dionys.
	ad Archid.	—	ad Ias. fil.	ad Archid.
	ad Ias. fil.	—	ad Lycophr. (Dion.)	—
25	ad Timoth.	—	ad Phil. I	ad Phil.
	ad Phil. II	—	ad Phil. II	ad Phil.
	ad Phil. I	—	ad Alex.	ad Alex.
	ad Alex.	—	ad Antip.	ad Antip.
	ad Antip.	—	ad Timoth.	ad Timoth.
30	ad Mytil. mag.	—	ad Mytil. mag.	ad Mytil. mag.

Ac primum quidem animadvertas, quam arte Photii exemplar et cum Θ (orationum 11) et cum Φ (epistolarum) cohaereat, ut codicem Θ plenum ex indice Photiano recuperare liceat. Nam Θ et Photius orationibus eodem ordine coniunctis conveniunt his: Paneg., Areop., Plat., Archid., c. sophist.; Philipp., Panath., Antid.; Helen., Euag., Busir. (Θ) = Busir., Helen., Euag. (Phot.), quibuscum apud Photium oratio c. sophist. recte connectitur. Quae oratio in Θ a ceteris encomiis avulsa est, cum orationes librarii alicuius libidine locum aliquatenus transmutarent (orationes Helen., Euag., Busir. enim in Θ ante Panegyricum collocatae sunt). Desunt in Θ et priores et posteriores Photii orationes, quod casu factum esse facillime sumitur. Photius vero orationem de bigis silentio transmisit; quam in exemplo eius scriptam non fuisse inde apparet, quod codicis Urbinatis corrector 5, a quo librum cum Θ coniunctum adhibitum esse Buermannus docuit (II p. 18), eandem orationem solam non attigit. Quo libri Photiani cum familia codicis Θ necessitudo iterum probatur. — Vinculo vix laxiore etiam cod. Φ cum Photii libro videtur ligatus esse, quamquam Photius epistolae ad Iasonis filios datae mentionem non habet. Quod incuriae tribuendum est, quia Photius ipse se novem Isocratis epistolas legisse testatur, cf. ἀνεγνώσθησαν Ἰσοκράτους . . ἐπιστολαὶ θ' et τῶν δ' ἐννέα ἐπιστολῶν αὐτοῦ. Atque epistolae sex posteriores in utroque libro recte congruunt (cf. p. XCIII); earundem ordo in Γ epistola ad Timotheum perperam ante Philippicas posita turbatus est. Priores vero, quae quidem eiusdem generis sunt (prooemia), inter se transpositae (= Γ) concentum hunc non ad irritum redigunt, nisi differentiam inscriptionis epistolae primae velis exagitare (Διονυσίῳ Phot. = Γ, Λυκόφρονι Φ), quae tamen ad ordinem epistolarum non pertinet. Accedit quod epistolarum in Φ memoria orationum memoriam vulgatam depravationis modo plane aequiperat, unde codicem Φ re vera e libro vulgato (cum Θ congruo) descriptum esse probabilis est coniectura (cf. Blätter für das bayer. Gymnas.-Schulwesen XXXVII 1901 p. 354/55).

Itaque comparandi sunt codd. Γ et Λ et Photius (ΘΦ), ut eruatur, num quid codicum illorum ordo commune habeat ex archetypo aliquo explicandum (de quo exposui in Musei Rhen. vol. LI 1896 p. 21/26). In quibus primo quidem obtutu ordo orationum valde diversus conspicitur, ut archetypi imaginem refingi posse desperes. Eadem tamen diligentius inquirenti perspicue se offert. Etenim Keilius iam ostendit (Anal. Isocr. p. 73/74), antiquitus inter se conexas fuisse paraeneses ad Demonicum, ad Nicoclem, Nicoclem, quas ipso

hoc ordine in archetypo fuisse ex codicum consensu elucet. Praeterea orationes Helena, Busiris, c. sophistas, Euagoras (ex ordine codicis Γ), quae via quadam et arte laudationum nomine collectae sunt (cf. p. LXXXVI), in omnibus libris inter se cohaerent. Atque in ΘΛ Euagoras inter Helenam et Busiridem collocatus est, qui ordo recensioni vulgatae communis videri potest. Repugnant vero verba, quae in argumentis ad Helenam et ad Busiridem leguntur, quae tametsi in cod. Π solo servata sunt ad pristinam recensionis vulgatae memoriam videntur referenda esse: in argumento ad Busiridem τοῦτον τὸν λόγον γράφει πρὸς Πολυκράτην τινὰ σοφιστήν; ad Helenam τινὲς λέγουσιν, ὡς ὅτι καὶ τὸν λόγον τοῦτον ἔγραψε πρὸς Πολυκράτην ἐπιλαβόμενος αὐτοῦ καὶ ἐν τούτῳ. οὐκ ἔστι δέ· καὶ γὰρ τὸ ἐναντίον συνέβη· ἐκεῖνος γὰρ ὁ Πολυκράτης κτέ. Unde Busiridem in vulgata olim Helenae antecessisse luce clarius est, idemque ordo apud Photium re vera exstat. Paraeneses vero in libris vulgatis principem locum antiquitus iam obtinuisse (cf. Phot. Λ), cum in codicis Γ memoria laudationes antepositae fuerint, haec verba testimonio sunt, quae in oratoris vita (p. 255 Westerm.) leguntur: ἔγραψε δὲ πολλοὺς λόγους, ὧν εἰσιν αἱ παραινέσεις, . . ἃς πρῶτον εἰκότως ἀναγινώσκομεν, οὐχ ὡς βελτίονας οὔσας τῶν ἄλλων λόγων. . . ἀλλ' ὅτι περὶ ἠθῶν διαλαμβάνουσιν (cf. argum. ad Demon. πρώτας ποιουμένους τὰς παραινέσεις). Inculcandum autem est hoc, laudationes et admonitiones, licet eiusdem generis non sint, inter se copulatas esse in omnibus codicibus. At codicis Γ ordo praestantior esse videtur, qui temporum rationes secutus laudationes sophisticas Euagora interposito cum adhortationibus ad Nicoclem Cyprium et ad Cyprios datis apte coniungat. In vulgata memoria tamen admonitiones ea de causa videntur antepositae esse, quod de virtute praecipientes lectoribus iucundiores visae sunt.

Etiam altera orationum deliberativarum classis in archetypo coniuncta fuit olim, cuius ordo in codicibus vulgatis quodammodo vitiatus est. Sed generis illius orationes sex in Λ etiamnunc inter se cohaerent, cum Panegyricum inter Nicoclem et Helenam perperam interiectum esse eo ipso convincatur, quod ex orationibus symbuleuticis Panegyricus solus in Π argumento caret. Quod vero apud Photium Philippus et Panathenaicus laudationibus immixtis a ceteris segregati sunt, — in Θ oratio contra sophistas sola ordinem non sequitur, reliquae laudationes suum quaeque locum tenent; oratio de pace autem desideratur, — casu videtur factum esse, cum laudationum volumen in libro aliquo antiquo inter deliberativarum volumina

a librario falso insertum esset. Etenim versu 36/37 litterarum computato volumen illud laudationum 1810 fere versus habuisse (Helen. 540, Busir. 390, c. sophist. 200, Euag. 680), admonitionum alterum 1385 prope versus complevisse statuemus (ad Demon. 415, ad Nicocl. 430, Nicocl. 540). Deliberativarum autem orationum tantus erat ambitus, — Archid. 920 circiter versuum, Areop. 670, Plat. 490, de pace 1170, Philipp. 1280, Panath. 2330, Paneg. 1480, — ut longiores quidem singulis voluminibus videantur comprehensae fuisse, praeter Areopagiticum fortasse et Plataicum, quos complecti potuit unum versuum 1160 (nisi forte Archidamus et Areopagiticus = versuum 1590, Plataicus et de pace = versuum 1660 singula volumina faciebant). Quam ob rem haud mireris, quod orationum illarum collocatio in codicibus valde differt. Ac tamen in Urbinate simul atque apud Photium Areopagiticus cum Plataico et Philippus cum Panathenaico connexi sunt, quod ad archetypum videtur referendum esse. Cuius ordinem ab optimo codice Γ veri simile est servari; nam solus ordinis explicationem praebet facilem, quia contiones, quae ad populum habitas se ferunt (Archid., Areop., Plat., de pace), excipit Philippus in epistolae modum redactus. Philippum autem, qui cum Panegyrici argumento ex parte quidem convenit, orationes sequuntur conventibus sollemnibus destinatae, Panathenaicum dico et Panegyricum, qui eiusdem paene argumenti sunt. Praeterea volumina singula secundum magnitudinem fortasse disposita sunt ita, ut a minore ad maius procedant; excepto Panegyrico, qui cum Philippi et Panathenaici argumenta complectatur et unus omnium celeberrimus fuerit, in fine videtur collocatus esse.

Item tertiam orationum forensium classem in omnibus codicibus in unum coactam reperimus et — id quod gravius est — post deliberativas positam, quamquam, si temporum rationes spectes, agmen ducere debebant. Praeterea in cunctis oratio de permutatione, cuius inscriptionem absurdam (cf. c. IV) in omnibus eandem esse animadvertes, inter iudiciales recepta est, licet proprie ad iudicium non pertinuerit atque etiam cum oratione c. sophist. colligari potuerit (ὡς ὄντος μικτοῦ τοῦ λόγου § 12, cf. § 10). Idque notandum est, quoniam forensium praecipue orationum series in codicibus maxime differt. Neque tamen discrimen in hoc positum est, quoniam et Γ (in Callim., Amart.) et liber Photianus (de big.) gravem iacturam subierunt, qua reliquarum quoque orationum ordinem turbatum esse veri est simile. Nihilo minus etiamnunc in Γ et Photii libro orationes Trapezitica et c. Lochit. copulantur, quod ad antiquitatem referendum esse probatur scholio Demosthenico (codd. F P ad or.

X § 30 p. 155, 7 D) . . . καὶ ἔστιν ὥσπερ ἐπίλογος, ὥσπερ ἐποίησε καὶ Ἰσοκράτης ἐν τῷ τοῦ Τραπεζιτικοῦ τέλει κατὰ Λοχίτου αἰκίας ἐπίλογον θείς (cf. Dindorf ad loc.). Suspiceris igitur, orationes illas cum oratione de bigis uno volumine 1100 fere versuum (de big. 420, Trapez. 515, c. Lochit. 165) comprehensas fuisse sicut in Γ, orationes autem Aegineticam, Callimacheam, Amartyrum complevisse alterum 1125 versuum (530+435+160) sicut apud Photium, Antidosim denique tertium excepisse permagnum 2630 versuum (vel 3520 versuum cum orationum laudatarum partibus exscriptis): atque facile explicaveris, quomodo oratio de bigis apud Photium, orationes in Callim. et in Euthyn. in Γ exciderint. Quin etiam hac serie constituta ratio ordinis cognoscitur, quia oratio de rebus hereditariis (Aegineticus), quae Athenis non est dicta, agmen iudicialium ducit, pariter atque Archidamus (Lacedaemonius) deliberativarum. Quam quattuor sequuntur orationes de damno vel — quod simile est argumentum — de deposito (in Callim.: βλάβης, Amart.: παρακαταθήκης, de bigis: βλάβης, Trapez.: παρακαταθήκης), quibus ultima adhaeret c. Lochit. de vi (αἰκείας). Oratio de permutatione vero initio ordinis locum obtinuerit (sicut apud Photium = Θ et Λ), ut oratio mixti generis deliberativas cum iudicialibus connectat.

Paucis denique transigere licet cum epistolis, quae in Γ et in vulgata eaedem sunt novem. Mira autem est corporis huius 1000 fere versuum compositio, in quo tria orationum prooemia (ad Dionys., ad Archid., ad Jasonis filios) cum tribus epistolis commendaticiis privatis (ad Antipat., ad Timoth., ad Mytilen. magistr.) tribusque ad Macedonum regem Philippum eiusque filium Alexandrum missis coniunctae sunt. Quem ordinem in Φ et apud Photium servatum in Γ litterae ad Timotheum a ceteris commendaticiis seiunctae turbant, ut archetypi ordinem vulgata memoria repraesentari cernatur.

Quis vero neget, archetypum ex ipso ordine orationum, quem singuli libri ostendunt, nunc cognosci? Nam ex prisco illo quem ex Urbinate potissimum restituimus ordine perturbationes, quas vulgati codices passi sunt, facilem habent explicationem, si modo corpus illud antiquitus singulis voluminibus (1000—1500 circiter versuum vel raro plurium) constitisse statuemus, quod per se est probabile. Ordinem autem archetypi veri similem secundum volumina digestum sub uno conspectu hic proponam: I. a) Helen., Busir., c. sophist., Euag.; b) ad Demon., ad Nicocl., Nicocl.; II. a) Archid.; b) Areopag., Plat.; c) de pace; d) Philipp.; e) Panath.; f) Paneg.; III. a) Antid.; b) Aegin.,

in Callim., in Euthyn.; c) de big., Trapez., c. Lochit.; IV. epistolae = XII voll. 17390 (vel 18280, cf. Antidosim) circiter versuum.

Tertii et quarti argumenti loco, quibus communis codicum archetypus efficitur, singularum orationum conditionem afferam, videlicet

3. Orationis contra sophistas finem mancum,

4. Orationem ad Nicoclem interpolatam.

Atque de oratione contra sophistas in capite IV fusius disputaturus rem ex omni parte planam esse hic uno verbo profiteor, quidquid contra disputaverunt quidam in Isocratis scriptis hospites. Difficilior est quaestio de oratione ad Nicoclem interpolata, de qua inter viros doctos lis est pertinacissima. Quam ut solvam me in eodem capite proximo operam daturum esse hic sufficiat significare. Conditor autem corporis Isocratei et orationem contra sophistas mutilatam iam et orationem ad Nicoclem iam interpolatam recepit, quo factum est, ut orationes illae a veteribus omnibus, quos quidem noverimus, hac forma lectitatae sint.

Nihil dicam de orationis Demoniceae sententiis parum apte dispositis, quae perturbatio, licet interpolationes manifestae in omnibus codicibus papyrisque detegantur (cf. § 25), ad ipsum orationis auctorem potest quidem referri. Sed tamen eam opinionem, qua sententiarum confusionem ex parte certe (e. g. cf. § 41/2) casui aut interpolatoris alicuius temeritati deberi statuunt, a veritate propius abesse in promptu est suspicari, quoniam scriptorem in verbis elaborandis atque perpoliendis diligentissimum tanta perturbatione rerum delectatum esse veri est non ex omni parte simile. Atqui fieri nequit, ut pristinum aliquem orationis statum nunc restituamus, quia quid voluerit auctor plane a nobis expediri non potest.

Ne illae quidem orationes ad archetypum enucleandum quidquam faciunt, quas orator ipse mutilatas in vulgus emisit: sunt autem orationes contra Lochitem et de bigis atque tres priores quae vocantur epistolae. Neque Amartyrus in fine mancus quidquam ponderis habet, quia in Λ solo traditus post archetypum constitutum mutilari potuit, velut Antidosis media in Λ solo, eiusdem orationis finis et orationis de bigis exordium in Γ solo casu iacturam fecerunt.

Ad extremum in censum vocabo

5. Partes orationum in Antidosi ab ipso Isocrate exscriptas, quae sunt Paneg. § 51 ἡγοῦμαι δὲ τοῖς ad § 99 fin. (= Antid. § 59), de pace § 25 ἡγοῦμαι δὲ δεῖν ad § 56 fin. et § 132 τίς οὖν ἀπαλλαγὴ ad finem orationis (= Antid. § 66), ad Nicoclem § 14 μάλιστα δ' ἂν

αὐτὸς ad § 39 περὶ τῶν μεγίστων λέγοντας. χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων in artius contracta (= Antid. § 73), contra sophistas § 14 εἰ δεῖ μὴ μόνον ad § 18 fin. (= Antid. § 194), Nicocles § 5 ὃ πάντων τῶν ἐνόντων ad § 9 πλεῖστον νοῦν ἔχοντας (= Antid. § 253/7 in orationis contextu): de quibus primus egit H. Royaards, „Diatribe Acad. de emendandis plurimis vet. Scriptorum Graec. locis, Traiecti Batav. 1775 in cap. III. Loca quaedam Isocratis in Orat. Paneg. et illa de Pace, ex Excerptis eorum, quae sunt in Orat. de Permutatione, et vicissim haec ex illis, emendata“. Quos locos ab Isocrate plenos hic redditos esse dudum ex orationis compositione effectum est, cum locorum laudatorum ambitus gradatim diminuatur (cf. Orelli 1814 p. XVIII/XIX, Blass, Attische Bereds. II² p. 311 n. 5). Accedit quod verba orationis de pace in §§ 132/4 consulto commutata ipsius oratoris manum produnt (cf. p. LXXXV), cum orationis Nicocleae forma in Antidosi brevior genuina putanda sit. Sed codices differunt eo, quod cod. Γ in Antidosi (= Γ^{α}) partes ex orationibus Panegyrica, de pace, ad Nicoclem depromptas (aliter atque verba ex orationibus c. sophist. et Nicocle allata) primis tantum et ultimis verbis designat, cum libri vulgati (Θ^{α}, ex parte etiam Λ^{α}) eas reddant integras. In cod. Λ^{α} verba ex orationibus ad Nicoclem, contra sophistas, Nicocle exscripta cum parte orationis de permutatione media (§ 72 ποιησάμενος οὖν ἀρχὴν ad § 309 fin.) interciderunt. Nihilo setius de pristina omnium horum librorum communione dubitari nequit, quandoquidem etiam in Γ^{α} orationum de pace (§ 132/3) et ad Nicoclem (§ 39) loci breves (a Bekkero expressi) singularem vulgatae memoriae indolem tenent.

Atque etiam memoria partium illarum cum orationibus ipsis comparata, Antidosim singularem verborum formam servare apparet, quae et a vera Isocratis manu et ab orationum memoria longe distet. Quod viros doctos diu fugit, quoniam libri omnes Γ^{α} Θ^{α} Λ^{α} coniuncti paucissima tantum verba tradiderunt illa, quae in cod. Γ^{α} ex orationibus Panegyrica et de pace supersunt. Verum cod. Γ^{α} integram habet orationis contra sophistas (et Nicoclis) particulam, in qua cum Θ^{α} conferri potest, cum Θ^{α} et Λ^{α} in partibus orationum Panegyricae et de pace facile inter se componantur. Cod. Θ^{α} denique — praeter pauca codicis Γ^{α} verba — solus exstat in orationis ad Nicoclem sententiis laudatis.

Nunc vero quaestionem de Antidosis memoria propria, quam institui codd. auctor. p. 65 sq., totam retractare longum est (Muen-

schero, qui contra me disputavit in Quaest. Isocr. p. 5 sq., respondi in Philologi vol. LV 1896 p. 670/1; neque novi quicquam attulit adversarius ille denuo mihi oblocutus in Philologi vol. LVIII 1899 p. 9). Brevissime tamen locos illos mecum inspicias, primum quidem orationis contra sophistas particulam, quam in codd. Γ^α et Θ^α tenemus. Atque codd. Γ^α Θ^α illic consentientes memoriam vulgatam cum Γ refutant duodecies, cf. § 14 κατηγορῆσαι, 15 γὰρ ⟨καὶ⟩ νῦν, om. αὐτούς, 16 ἐνταῦθα, 17 δὲ ⟨καὶ⟩, om. μή, 18 μιμεῖσθαι, πάντων, τὸ τέλειον, ἐλλείπῃ, χείρους, εἶναι: bis cum illa contra Γ conveniunt, cf. § 16 om. τήν, 18 δυνηθέντας: semel contra codices omnes faciunt, cf. § 16 ἐφ' ἑκάστῃ τῶν πράξεων. Codicum Γ^α et Θ^α autem lectiones inter se variant locis undecim, inter quos Θ^α solus a ceteris discedit octies: quod plerumque librariorum neglegentia in Θ pervulgata factum esse lectionibus ipsis perpensis cognoscitur, cf. § 15 ἐντυγχάνουσι, ἀποτελέσειαν, 16 om. δ', om. τι, διαμαρτάνειν, τοῖς πρεπωδεστέροις, 17 εἶναι ⟨διελθεῖν⟩ ex sequentibus, 18 συνδραμόντων. (Similis est codicis cuiusque vulgati memoria peculiaris). Contra cod. Θ^α solus cum vulgata contra Γ Γ^α vix duobus locis haud gravibus conspirat (§ 17 δεῖ, om. τὰ), cum semel in Γ^α solo varia lectio antiqua invenitur: § 15 φρονιμωτέρως Γ pr. Θ = φρονιμώτερον Λ Θ^α] χρησιμωτέροις Γ^α = χρησιμωτέρως Γ mg. unc. pr. Unde codicum Γ^α Θ^α memoriam contra ceteros libros concentum servare universum in propatulo est, ut communis memoriae illius origo nullo negotio perspiciatur.

Paululum diversa est codicum ratio in partibus illis, quae ex orationibus Panegyrica, de pace, ad Nicoclem in Γ^α servata sunt. Quarum lectiones varias hic colligam: Paneg. § 51 κινδύνων Γ Γ^α] κινδύνων ⟨τῶν πρὸς (περὶ Θ^α Λ^α)τὸν πόλεμον⟩ Θ Λ Θ^α Λ^α ex XIX 58, § 99 ὑπὲρ om. Θ^α sol., ἀξιωθεῖμεν Γ Γ^α] ἀξιωθείημεν Θ Λ Θ^α Λ^α; de pace § 25 ἡμᾶς Γ Γ^α] ὑμᾶς Λ Π Θ^α Λ^α, οὐ] μὴ Λ^α Pap., βουλευσομένους Λ sol., ἄξωμεν Λ Π sol., § 56 ἐπιλίποι Γ Γ^α Λ^α] ἐπιλείποι Λ Θ^α (ἐπιλείψει Π), με om. Γ^α sol., γεγενημένος Λ Π Γ^α Θ^α Λ^α, ἐπιχειρήσαιμεν Γ^α Θ^α sol., § 132/3 γενήσεται τῆς ταραχῆς ταύτης: καὶ πῶς ⟨ἂν $Γ^α_2$ Θ^α Λ^α⟩ ἐπανορθωσόμεθα (ἐπανορθώσαιμεν codd. Λ^α) Γ^α Θ^α Λ^α, πόλεως ⟨πράγματα⟩ Γ^α Θ^α Λ^α, ποιήσομεν Γ^α sol., εἶναι νομίζοντες Γ Θ^α Λ^α] εἶναι om. Γ^α (νομίζοντες εἶναι Λ Π Pap.); καλούς ⟨τε⟩ κἀγαθοὺς Γ^α (καλοὺς om. Π); ad Nicoclem (Γ^α Θ^α) § 14 μάλιστ' ἂν Θ^α sol., σεαυτοῦ Π Pap. sol., φρονίμοις Λ sol., § 39 περὶ μικρῶν ἀκριβῶς colloc. Γ^α Θ^α, μεγάλων Γ^α sol., χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων post μεγίστων λέγοντας colloc. Γ^α Θ^α. Ubi gravissima est varietas orationum de pace

§ 132/3 et ad Nicoclem § 39 in Γ^α Θ^α (Λ^α) congrua (cf. p. LXXXV), qua eandem locorum laudatorum formam Antidosis memoriae subesse elucet, cf. etiam de pace § 25 ἄξομεν ΓΓ^α Θ^α Λ^α, 56 ἐπιχειρήσαιμεν Γ^α Θ^α, 133 πόλεως ⟨πράγματα⟩ Γ^α Θ^α Λ^α, εἶναι νομίζοντες ΓΘ^α Λ^α. Contra codices Θ^α Λ^α ex orationum ipsarum memoria vulgata correctos (immo interpolatos) esse (vel vice versa) ex his cognoscetur: Paneg. § 51 κινδύνων ⟨τῶν περὶ τὸν πόλεμον⟩, 99 ἀξιωθείημεν, de pace § 25 ὑμᾶς, 56 ἐπιλείποι ΛΘ^α, γεγενημένας, ἐπιχειροίην ΛΠΛ^α, 133 ἐπανορθώσαιμεν (Γ)ΛΠΛ^α, ποιήσαιμεν (secundum ἐπανορθώσαιμεν) (Γ) ΛΠΘ^α Λ^α. Codex autem Γ^α solus nonnunquam neglegentia erravit, cf. de pace § 56 om. με, 133 om. εἶναι, καλούς ⟨τε⟩, ad Nic. § 39 μεγάλων, idemque vix rarius etiam in Θ^α vel Λ^α (sicut in ΘΛΠ) accidit, cf. Paneg. § 99 ὑπὲρ om. Θ^α, de pace § 25 οὐ] μὴ Λ^α Pap., ad Nic. § 14 μάλιστ' ἂν Θ^α. Neve concentum in Antidosi pristinum hac discrepantia serius exorta infringi existimes, quoniam contaminatio orationum ipsarum cum Antidosis locis in codicibus vulgatis etiam aliunde patet: e. g. videas notabilissimum hoc in oratione de pace § 55 ἑλληνικῶν πραγμάτων ἢ Γ] ἑλληνικῶν πραγμάτων ⟨καὶ πολιτικῶν⟩ ἢ ΛΠ = ἑλληνικῶν ⟨καὶ πολιτικῶν⟩ πραγμάτων ἢ Θ^α Λ^α et de papyris p. CI.

Id ita esse Nicoclis particula in Antidosi repetita probatur, cuius fons illic indicatus non erat, ut orationis verba cum Antidosi contaminanda librariis in promptu non fuerint: quam ob causam uno loco solo, quo casus accusari potest, codices Γ^α et Θ^α cum Γ et ΛΠ inter se separantur: § 5 ἐνόντων ΓΓ^α] ὄντων ΛΠΘ^α. At vero Antidosis cum Γ contra ΛΠ recte convenit quater: § 5 πολλῶν, 6 φκίσαμεν, 7 γὰρ περί, 8 ταύταις, cum vulgata contra Γ recte facit bis: § 8 μετὰ τούτου, λέγειν δυναμένους. Quod vero et in Γ^α et in Θ^α haud rarae inveniuntur lectiones peculiares, — in Γ^α quattuor: § 5 om. ἄλλων, 6 οὕτως, 7 colloc. καὶ τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, 8 om. ταύταις; in Θ^α decem: § 5 ἅ, om. τῶν, οὐδενὶ ταῖς ῥώμαις, 6 ἐγγενομένοις, πάντα, ⟨ὁ⟩ λόγος, 7 om. καὶ πιστῆς, τοὺς ἀλλήλους, ταύτας, — auctoritatem ob eam ipsam causam non habet, quod in plerisque librariorum indiligentia manifesta est, quae hanc particulam non aliter atque orationem reliquam pessumdedit. — De codicum Θ^α Λ^α congruentia universa, quae orationum Panegyricae et de pace locis aperte proditur, opus non est disputare.

Exemplis autem raptim allatis ad liquidum iam perduxisse mihi videor, codicum Γ^α Θ^α Λ^α contra ceteros libros concentum graviorem esse, quam ut casu aliquo explicari queat. Quem ex codicum nostrorum

communi archetypo iam satis comprobato originem duxisse quis est quin videat? Quae vero fuerit partium illarum forma in Antidosi genuina dubium est, quoniam disceptari nequit, utrum orator ipse non solum orationem de pace (§ 132/4, cf. p. LXXXV), sed etiam ceteras orationes in Antidosi edenda retractaverit necne. Fieri id quidem potuit, quoniam orator non tam ostentationis causa, quam ut mores suos et orationum vim patefaceret verba illa protulit (cf. Antid. § 54 μικρὸν γὰρ μέρος ἀκούσαντες ῥᾳδίως τό τ᾽ ἐμὸν ἦθος γνωριεῖτε καὶ τῶν λόγων τὴν δύναμιν ἁπάντων μαθήσεσθε). Neque aetatis illius homines tam pusilli animi erant et angusti, ut verba quaedam a scriptore laudata ad unguem spectarent et excuterent. Caveas igitur, ne Antidosis lectiones varias ad unum omnes interpolatoribus librariisque tribuas, cum ex parte quidem possint esse ipsius Isocratis.

Iam archetypi codicum indolem diligentius inspiciamus, quam penitus demonstrat et **papyrorum** et **testimoniorum** memoria a codicibus nostris longe aliena.

Ac **papyros** quidem (cf. p. IV sq.) tres habemus gravissimos, inter quos et ambitu et aetate et auctoritate reliquos superat Londinensis orationis de pace (inde a § 13) saeculi I. p. Chr. n. Proximus est papyrus Berolinensis orationis Demoniceae (inde a § 18) saec. II. p. Chr. n., cum Massiliensis orationis ad Nicoclem (§ 1—30) saeculo iam IV./V. tribuendus omnium sit recentissimus. Septem demum sunt papyrorum frustula exigua, quae ex temporum (p. Chr. n.) ordine enumerabo: papyrus Amherstianus (ad Demon. § 48/51) saec. I./II., Oxyrhynchitanus 27 (de permutatione § 77 et 81) saec. I./II., Rainerianus II (Philipp. § 114/17) saec. II., Berolinensis alter (ad Demon. § 39, 41, 50/51) saec. II./III., Oxyrhynchitanus 704 (c. sophist. § 16/18) saec. III., Argentoratensis (ad Demon. § 45) saec. III., Rainerianus (ad Nicocl. § 2/4) saec. IV. De quibus omnibus ne multus sim, summatim nunc exponam, cum singulos — praeter Berolinenses nondum publici iuris factos — diligentissime iam tractaverint viri docti. Ac de Massiliensi Keilii potissimum curas adeas, ipse de Londinensi egi (codd. auctor. p. 94/118) verbis nonnullis de Massiliensi et Rainerianis adiectis.

Ex omnibus proxime ad Urbinatis memoriam accedit papyrus Londinensis orationis de pace, cuius 164 lectiones cum Γ contra Λ concordes in libello quem supra dixi congessi: inter quas 29

Antidosis memoria firmantur, cum paucissimae Antidosim cum vulgata contra Γ et Pap. congruam habeant. Contra 74 papyri lectiones converri, quae cum vulgata contra Γ conspirant (undecies Antidosi firmatas), cum sexies (§ 36, 56, 135, 139, 143 bis) papyrus cum Antidosi sola contra codices faciat. Duabus igitur lectionum partibus papyrus genuinam Urbinatis memoriam amplectitur, quo papyri auctoritas videtur comprobari (cf. etiam § 128 unicum illud λητουργιων). Frequentes tamen sunt loci, quibus papyrus e memoria vulgata vitiatus est, cum paucae lectiones vulgatae in papyro traditae oratoris manum servaverint. Ea res in papyri lectionibus propriis recensendis non parvi momenti est, nam raro hae virorum doctorum coniecturas confirmant (cf. § 125 εὐδαιμονεστάτους), multo saepius papyrum interpolatione libidinosa depravatum iam esse declarant, cf. praesertim satis mirum illud § 86 εν δε τω δεκελικω πολεμωι conflatum ex ἐν δάτῳ δὲ (κελικω πολεμωι). Atque etiam verborum collocationem respicientibus, quae in papyro varians haud semel hiatum gravem efficit (cf. § 57 κεκτημενοι εγω, 76 αυτω εκουσας, 126 αυτου ελαττω, 137 τολμησει ουδεμια), papyri auctoritatem Urbinati postponendam esse apparet, ut in lectionibus dubiis, quae multae sunt, tutius ubique Urbinatem sequamur. — Papyri correctiones creberrimae, quae ab ipso librario et ab aliis duobus ut videtur scribis profectae sunt, correctorem non unoquoque loco sine dubio indicant. Sed librariis cum priori tum recentioribus id commune est, quod non solum frequentes primae manus errores deleverunt, sed etiam ex alio quodam fonte varias lectiones (in margine aut supra versum) ascripserunt. Iisque aut Urbinatis lectiones pro vulgatis revocatae aut — id quod saepius etiam accidit — lectionibus Urbinatis vulgatae substitutae sunt. Quin etiam haud raro corrector quidam papyri memoriam cum codicibus consentientem attrectavit verbaque sive ad exemplum alterum sive ex arbitrio inepte mutavit. Quibus ex correctionibus paucas exscribere e re visum est, quia lectionis variae in codicibus vulgatis obviae originem apte illustrant: § 68 πριν ηθελησαν λακεδαιμονιοι ποιησασθαι τας συνθηκας pr. (= codd.), πριν ηναγκασαμεν λακεδαιμονιους ποιησασθαι in infer. mg. corr. 2; 75 ὑπερβόλου] υπερβουλου pr., ευβουλου corr. 3; 89 ευδαιμονιζειν pr. (= codd.), ευδαιμονα νομιζειν corr. 2; ibid. στεργοντας δε pr. (= codd.), και χαιροντας s. v. add. 2; 107 επιπολασαι και pr. (= codd.), επι πολλας αρχας προελθειν και in infer. mg. 2; 110 αγνοουσι pr. (= codd.), αστοχουσι in mg. 2; 115 πάντα τὰ δέοντα] παντα δεοντα pr., τα δεοντα corr. 2; 120 και τας παρα των ανθρωπων del. 2; 129 ημεραν

εκαστην pr. (= codd.), ημετεραν αγοραν s. v. 2, κατα την ημεραν εκαστην in infer. mg. idem; 131 αποροις pr. (= codd.), απορουμενοις corr. 2. Profecto memoriae vulgatae depravatio eandem habet indolem, ut archetypum eius a viro aliquo docto aut indocto vel a pluribus eodem modo tractatum esse perspiciatur. Lectiones autem vulgatae, quae in papyro deprehenduntur, memoriae Isocrateae corruptionem, e qua vulgati qui dicuntur libri nati sunt, iam ante primum p. Chr. n. saeculum initium cepisse arguunt. Atque adeo multo maiorem temporibus antiquis fuisse lectionum variarum copiam, quam quas ipsi novimus, papyro demonstratur, cuius varietas peculiaris in oratione emendanda fructui nobis est perexiguo, ut quantum valeat fidissimus testis Urbinas clarius etiam cognoscatur. Atque ea, quae iam pridem hanc in sententiam disputaveram, nova papyri collatione instituta omnibus numeris comprobata sunt; sed hoc novis lectionum tabulis conficiendis laboris mei socius Britannus aperiet, quoniam fusius ea de re disputare non iam est huius loci.*)

Statim ad alterum aggrediamur papyrum iamdudum notum, Massiliensem dico orationis ad Nicoclem, recentissimum et librarii incuria corruptissimum. Cuius memoria multo propius a codicibus Λ(Π) abest, quibuscum 49 locis concordat, cum 27 tantum locis a parte codicis Urbinatis inveniatur (quae 76 lectiones codicem Π duodecies a parte codicis Γ ostendunt, novies cum Papyro, ter contra eum). Antidosis autem codicis Θα memoria singularis quater in papyro reperitur, cf. § 20 τοῦτο θῦμα κάλλιστον εἶναι, 24 πολεμικὸν μὲν εἶναι ⟨χρὴ⟩ . . . εἰρηνικόν, 27 ἥδιστα, 29 om. ψευδῶς, idemque lectionibus paucis neque ita gravibus ab Antidosi discrepat: quod ex iis quoque locis cernitur, quibus Antidosis cum aliorum librorum memoria varia congruit. Inde papyri auctoritatem haud magnam esse facile colligitur, praesertim cum frequentes in eo exstent lectiones propriae minime probandae. Sed tamen gravissimum hoc ex eo apparet, Antidosis varietatem peculiarem antiquitati tribuendam esse, id quod praeter codicum concentum iam papyrus Londinensis docuit. Has lectiones contaminatione aut in Antidosis aut in papyrorum memoriam receptas

---

*) Dum haec typis exscribuntur, diligentissima totius papyri Londinensis 132 descriptio curante H. J. Bell prodiit in The Journal of Philology XXX 1906 p. 1—83 (The British Museum Papyrus of Isocrates Περὶ Εἰρήνης). Cuius auctor sagacissimus cum rem criticam omnino non attigerit mihi pauca de papyri illius lectionibus in praefatione voluminis II adicienda reliquit, quae componere typotheta urgente nunc mihi non licet.

esse oportet; neque quisquam opinor de origine earum dubitabit, quoniam papyrus Massiliensis in universum memoriam codicum interpolatam sequitur, cf. etiam § 29 μηδεμίαν συνουσίαν εἰκῇ προσδέχου μηδ' ἀλογίστως, ἀλλ' ἐπ' ἐκείναις κτέ. Hinc lectiones illas ex Antidosi ortas et contaminatione in papyros assumptas esse veri est simillimum, cum e contrario Antidosim ex orationis Nicocleae libris lectiones quasdam peculiares hausisse, interpolationes tamen maiores sprevisse minus sit probabile. Corruptionem autem memoriae vulgatae propriam, quae in papyro Massiliensi saeculi IV. frequentius deprehenditur quam in Londinensi saeculi I., non solum ex tempore procedente explicandam esse papyris reliquis et testimoniis examinatis cognoscetur.

Atque papyrus Rainerianus orationis ad Nicoclem (§ 2/4), qui eiusdem fere aetatis est atque Massiliensis, ad verbum paene cum illo consentit. Eiusdem thesauri Raineriani papyrus particulam Philippi (§ 114/7) continens (Keilius eum codicis Θ familiae non recte adiudicavit) ter cum Γ contra memoriam vulgatam (ΘΛΠ) facit, cf. § 114 δύναι', 115 κτήσασθαι, 116 πραότητα καὶ φιλανθρωπίαν, cum quater a parte codicum vulgatorum contra Γ inveniatur, cf. § 114 βουλεύμασιν, 115 ἐπὶ τὰς, εὐεργεσίας τῶν, 117 ὄντας. Atque duae lectiones cum codicibus ΓΘ consentiunt, cf. § 114 βουληθῇς, 116 ἐπὶ τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν ἄλλων ζῴων ἁπάντων, totidem cum codd. ΓΛ, cf. § 115 εἶχεν εἰς, οἵας, una cum cod. Θ solo, cf. § 117 ἡμῖν αἰτίους. Unde papyrum hunc medium inter codices Γ et vulgatos locum tenere, a vulgatis tamen aliquanto propius abesse consentaneum erit. — Inter papyros Oxyrhynchitanos fragmentum minutum orationis de permutatione (§ 77 et 81) tres lectiones graviores praebet cum Γ solo convenientes, cf. § 77 ἂν περὶ, καὶ μειζόνων, 81 τιθέντων καὶ. Atque etiam papyrus orationis contra sophistas (§ 16/18) plerumque cum Γ vel potius cum $Γ^α$ coniunctus est, ut eum ex Antidosis libro locum illum laudante avulsum esse iure credatur (cf. v. Wilamowitz, Göttingische Gelehrte Anzeigen 1904 p. 677 sq. sub no. 704). Nam cum $ΓΓ^α Θ^α$ conspirat bis, cf. § 16 δὲ τῶν, μὴ διαμαρτεῖν, bis cum $ΓΘΓ^α Θ^α$, cf. § 16 τάξασθαι, 17 δεῖσθαι, semel cum $ΓΘΛΓ^α$, cf. § 16 διαμαρτεῖν, semel cum $ΓΛΓ^α$, cf. § 16 πρεπόντως ὅλον τὸν λόγον, semel cum $ΘΛΓ^α Θ^α$, cf. § 18 συνηθέντας: discrepat igitur a $Γ^α$ nunquam, a Γ semel, a $Θ^α$ bis, a Θ ter, a Λ quater. — Reliqui sunt papyri Argentoratensis et Amherstianus orationis ad Demonicum (§ 45 et § 48/51), e quibus Argentoratensis unam habet lectionem insignem cum Γ solo congruam, cf. § 45 ἄλλην

παιδείαν. Amherstiani vero memoria inter codicum lectiones variat, cum Urbinatem solum sequatur bis, cf. § 49 μόνον, 51 δεῖ = δε, vulgatam codicum ΛΠ bis, cf. § 49 φήσομεν (cum ΣΥ), 51 χρωμένους, codicem Υ solum semel, cf. § 49 ἁμαρτάνοντας; frequentem codicum ΣΥ varietatem, quae a ceteris libris et a papyro differt, hic non curabo. Ne singulares quidem papyri lectiones in censum vocabo, quibus semel Baiteri coniectura § 49 (del. οὐ) videtur comprobari, cum in omnibus fere papyris lectionis varietas propria exstet plus minusve notabilis.

Omnes igitur circumspicientes papyros minores ad Urbinatem alios (Oxyrhynchitanos et Argentoratensem), ad vulgatam alios (Rainerianos et Amherstianum) propius accedere animadvertemus, ut cum papyro Londinensi illos, cum Massiliensi hos comparare possimus. Immo illi codicis Urbinatis etiam similiores sunt, a quo paucis atque iis non ita gravibus lectionibus singularibus distent. Sed papyrorum ambitus minor est, quam ut de memoria eorum universa certum iudicium ferre liceat.

Ad extremum paulo subtilius mihi tractandi sunt papyri Berolinenses orationis ad Demonicum (unus § 18 ad finem, alter § 39, 41, 50/51) ignoti adhuc, quorum gravitas varietate testium diversissimorum, qui in hac oratione praesto sunt, locupletissima comparata statim exstabit atque eminebit. Nam in oratione Demonicea praeter codicem Γ et codicum ΛΠ memoriam vulgatam et papyros habemus etiam codicum ΣΥ singularem memoriam nondum perpensam et interpretationem Syriacam et plenum fere Excerptorum Parisinorum textum (§ 15—43), qui codicis instar est, et testimoniorum veterum copiam, quibus unumquodque fere orationis verbum firmatur: de quibus deinceps nunc agamus.

Papyrus Berolinensis no. 8935 notabilissimus est lectionibus variis ex codicum omnium memoria aequaliter fere mixtis, quas omnes hic exscribere longum est. Sufficiant ergo numeri, quos lectiones singulas cursim percensens assecutus sum. Concordantiam cum Γ contra ΛΠ vicies quinquies (cf. imprimis cum Γ pr. § 29 om. τε, 31 φιλόνικος, 35 ὑπὲρ σεαυτοῦ), concentum cum ΛΠ contra Γ vicies quater numeravi, cum Λ solus et Π solus ex aequo fere cum ΓΠ Pap. (26 locis) vel cum ΓΛ Pap. (21 locis) discrepent. Codices ΣΥ, qui lectionum peculiarium multitudine ipsi insignes sunt, non solum inter codicum ΓΛΠ Pap. memoriam dissentientem variant, sed etiam Papyri lectiones proprias haud raro testantur, cf. ΣΥ Pap.: § 28 καὶ

τοῦ] om. τοῦ, 32 συμβῇ, 44 om. νῦν, 50 colloc. πρὸς τοὺς σπουδαίους καὶ (τοὺς) φαύλους = Gregor.; Σ Pap.: § 26 ὁμοίως ⟨γὰρ⟩ = Syrus, 28 ἕνεκα (Υ?), 33 πάντα, 38 om. μᾶλλον: Υ Pap.: § 24 προτέροις, 27 om. ἀγαθῶν, 28 δυεῖν, 33 ἐάν. Quin etiam codicis Λ aut Π solius lectiones a ceteris differentes in papyro reperiuntur, cf. Λ Pap.: § 30 πιστεύοντας = Stob.: A, 35 ὑπὲρ τῶν (οἰκείων) = Σ (Υ) Georgid.; Π Pap.: § 25 ἔκ τε] τε om. = corp.Paris., 27 colloc. μὲν σπουδαζόντων = Σ Υ Exc.Paris., 38 σαυτόν. Atque testimoniorum lectiones singulares papyrus confirmat has: Excerptorum Parisinorum: § 21 ὑποφέρειν = Georgid. Flor.Boiss., νομίσῃς, om. καί, 33 ἀπαγγελοῦντας (recte), 37 ⟨καὶ⟩ τοῖς; item Stobaei: § 19 κτημάτων (recte) = Syrus Exc.Vindob., 21 σαυτὸν = Georgid., 23 σαυτόν, 28 μεγάλην⟨ῥᾳδίως⟩; item Georgidis: § 18 colloc. παρὰ τῶν φίλων ἀγαθόν, 21 ἔχε = Stob.: Tr., 32 om. μάλιστα μὲν = Syrus, 46 om. καί; item corporis Parisini: § 26 μηδὲ τῶν παρόντων; item Gnomologii Barocciani: § 41 colloc. ἐπισκόπει πρότερον.

Inter papyri lectiones proprias plurimae sunt interpolationes foedissimae et correctiones libidinosae, cf. § 22 πλὴν ⟨οἷς⟩ ἂν δ[μω]ς, 26 ⟨ὑπὸ⟩ τῶν . . ⟨ὑπὸ⟩ τῶν, 28 ⟨κατὰ τρόπον⟩ δυναμένοις, 30 μόλις τις ἂν ὑπομείνειεν, 33 μόνῃ ⟨τῶν μοχθηρῶν⟩, 35 ⟨ὥσπερ⟩ γὰρ καὶ . . ⟨οὕτω καὶ τὸν ἔχοντα⟩ τὰς λύπας . . ἀναμιμνήσκωμεν, 36 ζηλοῦν⟨τὰς ἐκείνων⟩, τὸν ἐκείνων τρόπον ⟨τῶν ἄλλων⟩, 42 ⟨ἦν⟩ ἀναγκαῖον cf. Exc.Paris. Schol.Hesiod., 45 φιλοπονίᾳ ⟨μόνῳ⟩, 48 ἐνδέχεται ⟨πάντα⟩, 49 τύχης ⟨αὐτοὺς⟩ προδότας ὑπάρχειν, 51 χρὴ ⟨σε⟩ παραδείγμασι χρώμενον. Plurimae quoque sunt verborum omissiones, transpositiones, immutationes grammaticae aut glossematicae, quas lectiones sensu nonnunquam plane carentes, ne multus sim, praetermisi. At cum in papyri verbis corruptissimis vix quicquam sani inesse existimes, nihilo setius paucissimi deprehenduntur loci, quibus papyrus unus ex omnibus verum videtur conservavisse, cf. § 33 ἀπαγγελοῦντας (cum Exc.Paris.: coniecit Wolf), § 52 μάλιστα γὰρ (coniecit Winter) et praeclarissimum illud § 49 βίῳ κατὰ πᾶν ἐλαττουμένους, quo teter hiatus (παντὶ ἐλαττουμένους) emendationi antea pertinaciter reluctatus facillime sublatus est. Qua correctione viro docto minime tribuenda etiam in corruptissimo libro antiquo bonum aliquid et integrum posse reconditum esse in aprico est, ut codicum lectiones varias, quotquot antiquae sunt, omnes aequa mente iudicari par sit.

Eadem prope conditio est alterius papyri Berolinensis no. 7426, cuius varietatem plenam hic adiciam, quia in apparatu critico eam

nondum potueram adhibere: § 39 δικαιοσυνης ωφε[λ]η[θεν]τας (ex lectione Wilckenii), αλλ συν γε [α]γαθαις [ε]λπι[σ]ι προσεχουσι, 41 ισθι τω[ν] αν[θ]ρωπειων| μηδεν σ[υ βε]βαιοτερον· ου|τως γαρ [ο]υτε [ευ]τυχων| εσει (= Γ pr.) etc., 50 ζευς [η]ρακλεα (om. γαρ), ως οι μυθογραφοι| λ]εγουσι και παντες ιστο|ρο]υσι, μεγιστας τιμωριαις, 51 οις χρη (= ΛΠ) παραδιγμα[σ[ι]] χρωμενον ορεγεσθαι. Quae rarissime cum codicum lectione varia consentiunt, at permultas exhibent lectiones peculiares cum papyro Berolinensi no. 8935 interdum congruas, cf. § 39 προσεχουσι = προ[ε]χουσι no. 8935, 41 των ανθρωπειων μηδεν ον = των ανθρωπινων μηδεν ειναι colloc. no. 8935, 50 παντες ιστορουσι, 51 χρωμενον.

Itaque lectionum farraginem, qua orationis Demoniceae memoria nunc fere obruta est, maximam partem antiquis iam temporibus in volumina orationis illius omnibus probatae illatam esse e papyrorum indole cognitum est. Ac papyrus Berolinensis no. 8935 et eodem sententiarum ordine valde confuso et iisdem interpolationibus gravibus (cf. imprimis § 25 ⟨καὶ⟩ περὶ τῶν ῥητῶν ὡς ἀπορρήτων ἀνακοινοῦ) cum omnibus libris conspirat (etiam cum ΣΥ et translatione Syriaca, quae tamen omisit § 24 μήτε μετὰ βλάβης ad δεῖσθαι προσποιῇ). Inde vel diversissimum a codicibus papyrum ex communi librorum traditorum archetypo originem traxisse probatur, ex quo ad nos praeter sincerum verborum Isocrateorum testem Urbinatem sola codicum (Θ) ΛΠ (et ΣΥ) memoria venit integra. Quod casu quodam accidisse luce clarius est, quoniam codicum classes, quae in manibus nostris sunt, iam antiquitus solas recensione virorum doctorum confectas esse nunc omnino statui nequit. Neque selectione considerata eas aetatem tulisse sumet is, qui librorum vulgatorum et papyrorum conditionem studiose perpenderit. Codicum ΘΛΠ autem fons communis est, quem ex temporibus iam remotis — primis fortasse aevi Byzantini aut ultimis aevi Romani saeculis — repetendum esse probant et codicum illorum inter se discrepantia et varia lectio antiqua, quae in singulis libris vulgatis invenitur.

Quae sententia certius etiam ceteris orationis Demoniceae testibus adhibitis confirmabitur. Nam **codices** ΣΥ, de quibus plura verba facere opus non est, eandem fere indolem prae se ferunt atque papyri deteriores, quia plus duabus lectionum partibus (37 : 16) cum vulgata codicum ΛΠ memoria, una fere cum Γ consentiunt. Praeterea haud rara est convenientia cum Λ solo (7) aut cum Π solo (11), at perpaucis locis aut Σ solus aut Υ solus cum libro vulgato uno

coniunctus est, cf. ΛΣ § 2 et 35, ΛΥ § 2, ΠΣ § 11 et 34. Quod vero codices ΣΥ inter se persaepe variant, magna quidem ex parte archetypo tribuendum est graviter contaminato aut libidinose interpolato, cuius lectiones duplices crebro vel in Σ vel in Υ manu prima expressae sunt. Ac de illis lectionibus quidem, ex quibus in ΣΥ concentus cum testimoniis veterum, cum Excerptis Parisinis potissimum et cum Georgide apparet, infra pauca dicam. E peculiaribus autem lectionibus plurimis, quibus in universum nihil tribui potest, nonnullas hic commemorabo Christiani alicuius manum arguentes. Haec codicum memoriam ad Christianorum fidem accommodavit, quoniam pluribus Graecorum dis substituit unum: quod frequenter in Σ, saepius etiam et in Λ et in translatione Syriaca et in aliis testibus factum est, cf. § 13 τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς] τὰ πρὸς θεὸν ΣΥ Syrus cf. Georgid.; τὸ δαιμόνιον] τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον Σ (sic); τοῖς θεοῖς θύειν] θεῷ θύειν Σ corr. pr. Syrus; § 16 τοὺς μὲν θεοὺς] τοὺς μὲν θεὸν Λ (sic), τὸν θεὸν Syrus Stob.: Br. Georgid., τὸ θεῖον Exc.Paris.; § 18 ἀγαθὸν παρὰ τῶν φίλων] παρὰ θεοῦ ἀγαθὸν Gregor.; § 23 μηδένα θεῶν] μηδένα θεὸν ΛΣΥ Stob.: S cf. Syrum Gnomol.; § 34 παρὰ μὲν τῶν θεῶν] παρὰ μὲν τῷ θεῷ Σ, παρὰ μὲν τοῦ θεοῦ Georgid.; § 50 τῆς τῶν θεῶν] τῆς τοῦ θεοῦ Σ Syrus. Quibuscum haec codicum Λ et Θ scholia recentia conferenda sunt ad idem Christianorum studium spectantia: Nicocl. § 26 init. σημείωσαι ὡς φαίνεται ἀπὸ τούτου Ἰσοκράτης μὴ ἀρεσκόμενος ἐπὶ τῇ πολυθεΐᾳ Λ rec.; Helen. § 57 ὑμεῖς οἱ Ἕλληνες, οὐχ οἱ τῷ Χριστοῦ ὀνόματι σεμνυνόμενοι Θ rec., 59 σεμνὰ ταῦτα καὶ τοῦ σοῦ Διὸς ὄντως ἄξια, ὦ Ἰσόκρατες Θ rec., atque etiam versus in cod. Laur. LXXIV 13, quos supra memoravi p. XXIII. Denique diiudicandum non esse confiteor, utrum ex codicibus ΣΥ, qui cum vulgatis quidem libris cognati sunt, memoriam codicis Θ in adhortationibus deperditam recuperare liceat necne, quoniam codicis alicuius singularis memoria — velut papyri Berolinensis — libris ΣΥ subesse potest.

Orationis Demoniceae **Interpretationem Syriacam**, quae sat antiquis temporibus (fort. saec. VI. p. Chr. n.) facta tribus musei Britannici codicibus saec. VIII./IX. nobis tradita est, primus subtilius examinavit Vict. Ryssel (Über den textkritischen Wert der syrischen Übersetzungen griechischer Klassiker, Pars altera, Progr. Lips. 1881 p. 29/44). Is cum Syrum codicis sui verba parum accurate, haud raro suo arbitratu commutata reddidisse demonstravisset, Antonius Baumstark (Lucubrationes Syro-Graecae, Jahrbücher f. class. Philolog. Supplem. XXI 1894 p. 438/53) interpretem illum, quem fuisse

Sergium Resainensem evincere studuit, munere suo diligentissime functum esse contendit, ut translationi eius lectiones Graecas ubicunque substituere liceret. Huius argumenta ipse paulo post refutavi (in Philologi vol. LV 1896 p. 674/80) testesque attuli Cumontium et Rysselium, qui Baumstarkii opinionem de Sergio interprete profligaverant. Atque versione tota diligenter perpensa Rysselium iam verum vidisse cognoscitur, quia interpres id potissimum egerat, ut sententiarum vim quam apertissime exprimeret. Quod ut prospere cederet, ne libidinosis quidem mutationibus abstinuit, sive linguae Syriacae usui obtemperans dictionem simplicem synonymo sive sententiam jejunam verbis uberioribus explicavit, sive in contrarium vertens orationem copiosam praecidit sive astrictam transformavit, ut praeceptum proprium in sensum communem redigeret aut ethnicam scriptoris cogitationem ad Christianorum placita adigeret (cf. ad codd. ΣΥ). Adde quod non solum imprudentia haud raro erravit, sed etiam ignorantia nonnunquam de sententia quadam quid significaret, de verbo quodam quid valeret deceptus est. Quid? Exemplo Graeco corrupto an translationi minus accuratae innumeras paene lectiones varias tribuemus, quas librariorum Syrorum neglegentia etiam auxit verbis et sententiis nonnullis perperam omissis? Atque caveas, — quod iam prope vix dicendum erit, — ne sententiarum § 41/2 ordinem in oratione confusum Syri auctoritate nisus restituas, qui praecepta in hunc modum connexuit: δύο ποιοῦ καιροὺς . . . σιγᾶν ἢ λέγειν· χαῖρε μὲν . . . γιγνομένοις τῶν κακῶν· νόμιζε μηδὲν . . . δυστυχῶν περίλυπος· λυποῦ μετρίως κτέ (cf. Ryssel p. 40, Baumstark p. 446). Nam interpretis libido ipsa ex hac sententiarum transpositione conspicitur, quae alio quoque loco § 30/1 manifesta est. Ceterum sententiarum series in interpretatione Syriaca plane eadem est atque in codicibus, quibuscum singulae quoque lectiones variae conveniunt, ut Syrum eandem orationis recensionem manibus trivisse appareat, quae nobis praesto est. Etenim Syri lectiones — a Baumstarkio quot quidem enucleari potuerunt diligenter collectae — plus duabus partibus cum vulgata codicum ΛΠ memoria contra Γ faciunt, una tantum pars Urbinatem sequitur (17 : 7). Has in apparatu videbis distincte enotatas adiectis nonnullis, quae Ryssselii et Baumstarkii curis comparatis e subsidiis meis colligi potuerunt. Neque tamen in hoc labore parum fecundo desudavi, officio meo me satis fecisse ratus, si lectiones Syri graviores (partim in appendice critica) exscripsissem, quae aliqua cum probabilitate ad exemplum Graecum referendae naturam memoriae illius illustrant.

Iam ventum est ad **testimonia veterum,** quorum e numero primum ea conveniet excutere, quae ad orationem Demoniceam solam pertinentia cum testibus quos modo tractavi comparanda sunt. Atque orationis huius partem maiorem (§ 15/43) plenam fere reddunt, ut codicis instar haberi possint, Excerpta Parisina (= Exc.Paris.), corpusculum sententiarum dico, quod codice Parisino supplem. 690 (membranaceo in 4°: $24^1/_2 \times 19$ cm., saec. XII. ex codicibus Mynae = M) et duobus codicibus recentioribus (Vatic. 742 saec. XIV. = V, Laurent. LXXXVI 8 saec. XVI. = F) traditum est. Quod cum ex libris illis Leo Sternbach sub „Curis Menandreis“ (Cracoviae, Rozprawy XVII 1892 p. 229/45) publici iuris fecisset et continuo in „Analectis Photianis“ (Cracoviae, ibid. XX 1893 p. 84/124) attente perscrutatus esset, ipse postea meo Marte in gnomologii illius codices Parisinum et Laurentianum incidi, ex quibus Isocratis sententias descripsi et breviter indicavi in „Vorläufiger Bericht“, Sitzungsberichte der bayer. Akad. der Wissensch. 1902 p. 316/7. (Collatio mea codicis M a Sternbachii lectionibus nonnunquam discrepans in apparatu critico notata est). Corpusculum vero illud ex tribus concinnatum est partibus minime congruis, 1) epitoma epistolae illius, quam Photius patriarcha anno 865 ad Michaelem Bulgariae principem de officiis principis Christiani scripsit (Phot. Epist. I 8 apud Migne, Patrol. Gr. CII p. 627 sq. = gnomis 1, 2, 64—109); 2) excerptis uberrimis ex Isocratis orationibus ad Demonicum et ad Nicoclem, quae orationum ordinem servant (gnomis 3—61, 63 = ad Demon. § 6/7, 10, 15—43, 45; ad Nicocl. § 13, 11, 19, 24, 27, 28, 32, 38; Nicocles § 50); 3) Stobaei nonnullis (gnomis 62, 110—134). Atque Sternbachius gnomologium, quod in cod. Vatic. auctoris nomine suppresso insignitum est ἐκλογὴ γνωμῶν καὶ ἀποφθεγμάτων ἀπὸ διαφόρων, in ceteris autem libris inscriptione caret, a Photio patriarcha compositum esse censuit, qui etiam in alio libello, epistolam dico ex Basilii imperatoris persona ad Leonem filium eius scriptam = [Basilius], Isocratem imitando effinxerit et expresserit. Sed Sternbachii de gnomologii compositore coniectura admodum lubrico nititur fundamento, neque interest nostra scire, quis fuerit epitomator ille, cum epitomam ipsam teneamus. Cuius memoria Isocratea cum ceteris libris ita est connexa, ut in oratione ad Demonicum Urbinatem octies, codices Λ Π quinquies decies, codices ΣΥ undecies (cum Π septies) sequatur, raro etiam cum singulis libris vulgatis, cum Π ter: § 15, 21, 29, cum Λ semel: § 16, cum Σ ter: § 32, 35, 38, cum Υ bis: § 33, 34 faciat. Atque frequentes sunt

lectiones propriae, e quibus nonnullae cum papyro Berolinensi (§ 21 ter, 33, 37) aliisque testibus antiquis conveniunt (cf. § 18 cum Gregorio, 29 cum Georgide). Inter quas memoratu dignae sunt paucae, quae ex parte virorum doctorum coniecturas confirmantes genuinam oratoris memoriam solae videntur conservavisse: § 20 τῷ δὲ λόγῳ colloc. (coniecit Blass; quo facilius etiam in § 40 corruptam verborum collocationem coniectura sanabimus), § 33 ἀπαγγελοῦντας cum papyro (coniecit Wolf), § 34 τὰ δόξαντα ταχέως colloc., quod homoeoteleuton efficit auctori nostro probatissimum (collocationem verborum in codicibus a viro aliquo docto mutatam esse conicias propter earundem syllabarum -τα τα- repetitionem Isocrati certe molestam); cf. etiam § 29 τυχόντας] βάλλοντας, quod potest quidem genuinum esse.

Etiam plurimi orationis Demoniceae loci a Georgide excerpti, — quorum memoria tamen e codicibus nondum constituta est: ad codicem Parisinum = P in Boissonadii Anecd. Graecis I. expressum praeter alios accedunt cod. Marc. 23 saec. IX./X. = V et Laur. VII 15 saec. XI. = F, quorum varietatem Henricus Schenkl mihi suppeditavit, — codicis alicuius cum vulgata coniuncti (vel mixti) indolem prae se ferunt. Nam praeter 11 locos cum Urbinate consentientes 27 inveniuntur lectiones cum ΛΠ congruae (saepissime aut codicibus ΣΥ: 8 aut papyro: 11 aut Excerptis Parisinis: 8 aut aliis testimoniis firmatae), quibus adiciuntur 13 loci cum ΣΥ contra ceteros codices (4 cum Π, 5 cum Exc.Paris.), pauciores etiam cum singulis quibusdam libris vulgatis convenientes: 6 cum Π (§ 15, 18, 21, 30, 32, 35,) 4 cum Λ (§ 26, 27, 32, 42), 3 cum Σ (§ 33, 35, 46), 2 cum Υ (§ 32, 33). Neque desunt lectiones propriae, quae cum papyro (4: § 21 bis, 32, 49) aut cum aliis testimoniis (e. g. 4 cum corp.Paris.: § 9, 25, 37, 42) conspirant.

Eadem paene corporis Parisini (= corp.Paris.) quod vocatur ab Eltero edendi*) est conditio, cum in orationis Demoniceae locis duae lectiones cum Γ conveniant (§ 37, 41, quae sunt etiam in ΣΥ), contra octo cum ΛΠ (§ 17, 20 bis, 25, 41, 52 ter), binae cum ΣΥ

*) Elterus in testimoniis, quae typis iam exscripta perlustravit, corrigenda esse monuit: § 9 . . . (et corp.Paris. 564: ex Stob.), § 16 τὰς ἡδονὰς . . . Gnomol. Byz. (Bar. 135, Paris. 77 = corp.Paris. 844, Pal. 127 etc.; § 21 γύμναζε σεαυτὸν . . . cf. supra § 9, Democrit. ap. Stob. 29, 63 H, Gnomol. Byz. 28 (Bar. 22. corp.Paris. 784); § 23 ὅρκον ἐπακτὸν . . . Gnomol. Byz. 73 (Bar. 99), corp.Paris. 172; et in apparatu: § 27 v. 6 ὥσπερ γὰρ εἴ τις corp.Paris. 1168, correxit Maximus, quare lectio varia delenda est.

(§ 9, 41) cum Λ (§ 27. 42) cum Π (§ 21, 25) congruant. Quod vero Keilius olim Maximi Confessoris, Melissae Augustanae, Antonii Monachi lectiones Isocrateas exscripsit, irritus fuit labor, cum corpore Parisino invento Maximum sua e gnomologio illo excerpsisse nunc constet. Atque ex Maximo Stobaei sententiis adaucto Melissa Augustana, Melissa Antonii, Excerpta Laurentiana originem duxerunt. Nonnulli tamen apud Antonium Monachum exstant loci Isocratei (cf. X 29, 31, XI 15, 21, 53, XII 7), qui ex illo fonte explicationem non habent, ut Antonium eos ex oratore ipso hausisse appareat. Cf. Elter, Gnomica homoeomata I Bonnae 1900 p. 72 sq., III 1902 p. 184/5.

Ex ceteris testibus gravissimus est codex ille, cuius imago ex locis ab Harpocratione (= Harp.) exscriptis instauranda est. Cuius auctoritas nihil habet miri, quia lexicographum eruditissimum memoria oratoris fidissima usum esse per se facile intellegitur. Atque valde doleas, quod loci ab Harpocratione laudati neque plures sunt neque latiores, quoniam soli genuinam lectionem videntur tradidisse: XIV 8 τά (τε) παλαιά, 144 Κυρείῳ στρατεύματι cf. Xenoph. Hellen. III 2, 18, fortasse etiam XIV 144 Θίμβρων, XXI 17 τῶν μεγάλων Παναθηναίων. Sunt vero sat idonei, ut Urbinatis bonitatem confirment, quocum recte conveniunt vicies, cf. V 33, VIII 63 cum Λ, XIV 8, 91 cum Θ^{a}, XVI 53, 84 ter: semel cum Θ, 95, XVII 22, 50, XVIII 66 cum Θ, XIX 2 cum Λ, 93, 287, XX 103, XXI 31, 63, ep. II 1, VII 12. Tribus locis, quibus Harpocratio cum libris vulgatis congruit, Urbinatem oscitantia librarii a vero aberravisse existimo (XVII 100 διῴκισαν Π Pap.Harp.] διῴκησαν Γ Λ, XX 122 ξενιτευομένους Θ Λ Harp.] πολιτευομένους Γ, XXI 68 δεκαδαρχιῶν Θ Λ Harp.] δεκαρχιῶν Γ cf. ad XIV 110), cum paucissimae restent lectiones dubiae vix diiudicandae (XIV 162 ἑκατόμνως Γ pr. Λ Harp.] ἑκάτομνος Γ corr. rad. Θ Harp. epit. s. v. ἐπίσταθμος; XX 6 μηδόκῳ Γ pr. Θ Λ] ἀμαδόκῳ $Γ_2$ Harp.).

Plane alia est ratio memoriae Isocrateae apud Dionysium Halicarnaseum (= D), qui ipsius Isocratis verbis longe lateque usus est et in libro quem de Isocrate composuit (cf. imprimis c. 16/17 = de pace § 1—16, 41—43, 50—52, c. 19 = Trapez. § 1—12 cf. c. 20) et in aliis libellis (de compositione verborum c. 23 = Areop. § 1—5; de Demosthene c. 17 = de pace § 41—50 cf. c. 19/20, c. 20 = Paneg. § 96—99) ab Usenero et Radermachero nunc optime editis (Lipsiae 1899/1904). Atque de Dionysio Isocratis teste ante Keilium (Anal. Isocr.) egregie iam egerant Sadée, de Dionysii Halic. scriptis rhet.

quaest. crit., Argentor. 1878 p. 19 sq. et praecipue Carolus Fuhr, der Text des Isokrates bei Dionys v. Hal., Mus.Rhen. XXXIII 1878 p. 325/63, qui ex Useneri copiis rectius de Dionysii memoria iudicavit, quam Benselerus qui nimium illi pretium tribuerat (p. LI 7 ad Trapez.: „Dionysii libri hac in oratione Urbinate meliores"). De codicibus vero Dionysianis postea disputavit Aem. Thomas, zu Dionys v. Halik. über die alten Redner, Hermae vol. XXXII 1897 p. 60/67. Post Keilii curas ipse (codd. auctor. p. 123/9) lectionum Isocratearum Dionysii novas tabulas concinnavi, unde Dionysii exemplum eiusdem paene generis fuisse atque Papyrum Londinensem evidenter claruit. Nam cum duabus lectionum partibus (84) Urbinatis memoria vel sola (50) vel codicibus vulgatis quibusdam (18) vel Antidosis memoria (16) firmata apud Dionysium reperiatur, pars una (42) lectiones vulgatas praebet librorum vel omnium (28 + 7 cum $\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$ coniunctas + 5 a $\Gamma\Theta^{\alpha}\Lambda^{\alpha}$ alienas) vel singulorum (2). Novies autem Dionysius cum Antidosi sola consentit, quae a Dionysio cum ceteris codicibus congruo discrepat decies. Atque raris illis locis, quibus codicum memoria e Dionysio haud dubie emendatur (cf. Trapez. § 1, 3, 9 etc.), permagnus officit lectionum peculiarium numerus, quae Dionysii librum non solum librariorum neglegentia (omissionibus praecipue), sed etiam interpolatione temeraria depravatum fuisse demonstrant (prae ceteris cf. Trapez. § 6, 9, Paneg. § 98). Ea re auctoritas eius adeo minuitur, ut contra Urbinatem ponderis nihil habeat, nisi in optimo hoc codice corruptela sit aperta.

Praeterea Gregorius Corinthius, Bekkeri lexicographi, Priscianus, Pollux memoriam Isocratis servant haud spernendam, quae apud Gregorium, Priscianum, Pollucem cum Urbinate saepius conspirat quam cum vulgata. Atque G r e g o r i u s C o r i n t h i u s (Rhetores Graeci vol. VII Walz = Rh. Gr. VII W) codicem videtur usurpavisse, qui ab Urbinatis praestantia prope aberat. Duodecies enim cum Γ solo consensus adest (IX 11 ter, 12 bis, X 18, 31, 51, XVII 1 ter, 2), quibus locis quinque accedunt et cum Γ et cum singulis codicibus vulgatis concordes (IX 11 μόνον, X 18 λαβειν, 30 ter). Contra cum vulgata memoria concentus rarus est in rebus orthographicis (X 18 ἔσῃ, cf. 20 bis), rarus etiam in gravioribus (X 51 χρωμένους recte; 2 πρὸς ἡμᾶς ΛΣ, 18 ταῦτα om. ΛΠ Exc.Paris. Georgid.). Sunt vero lectiones quaedam Gregorio propriae, quae quominus nimium illi tribuamus prohibent (cf. imprimis IX 11 διαφέρουσαν, X 18 colloc. λόγον χρήσιμον = Exc.Paris., παρὰ θεοῦ ἀγαθὸν μὴ λαβεῖν, 30 σοβαρός = ΣΥ).

Etiam Bekkeri lexicographi (Bekkeri Anecdota Graeca I. = BA) decem lectiones praebent Urbinati consimiles (X 9, 26 bis, XVII 5, 39, 50, XVIII 30 + XIV 84 cum ΘΘ$^{\alpha}$Λ$^{\alpha}$, XVII 5 ὑμᾶς cum Π, XVIII 32 cum Λ, 34 cum Θ), inter quas tamen duae sunt falsae a $Γ_2$ΛΠ correctae (X 26 ἑτέρων, XVII 39 γεμούσαις); recte etiam I 8 εἰς . . δεδίωσι contra Λ solum videtur exhiberi. Contra inter 18 lectiones cum vulgata (raro cum codicibus singulis) consentientes tertia fere pars Urbinatis errores convincit etsi non graves, cf. X 32 κτητὰ, ἐσθῆσι, XIV 122 ὧν [ἂν], 167 τῶν [νῦν] συμφορῶν, XVII 19 πάντα τρόπον, XIX 100 οὐχ ὡς ⟨οὐχ⟩. Fallax autem vel dubia est congruentia cum X 25 οὕτω δ' Π, περιμένῃς ΛΠ, XI 28 ποιῇς ἢ λέγῃς Π Pap. Stob., 32 βασιλέας ΛΠ, 49 μάλιστα om. ΛΠ, XIV 126 [τῷ] τῆς Ἀσίας Θ Λ, XVII inscr. περὶ τῆς εἰρήνης ΛΠ Prisc., 87 ἐφησθησόμενοι ΛΠ Pap., ὑμετέραις ΛΠ, 125 μὲν om. ΛΠ, XIX 69 μάλιστ' ἂν Λ, 100 καταψευσομένων Θ.

Apud Priscianum (= Prisc.) plures leguntur loci (8) cum Γ probandi (XI 27, XIV 16 cum Θ, 66 cum Θ$^{\alpha}$, XV 2 cum Θ, 5, XVI 104, 109 cum Θ, XX 79), quam cum vulgata reiciendi (VI 46, X 34 ΠΣ, XIV 168?, XVII 110, 143). Sed etiam duobus locis lectio a Prisciano simul atque ab Urbinate tradita adulterina est (cf. XV 5 ⟨οὐ⟩ μετέχομεν, XVII 19 ⟨καὶ⟩ πάντας τρόπους), neque desunt lectiones peculiares, quae Prisciani librum graviter fuisse corruptum demonstrent (cf. VI 46, VIII 57, XI 27, XIV 16, XV 5, 27, XVI 104, XVII 92, ep. VI 11). Inde editores Priscianum nonnunquam praepropere contra codices secutos esse elucet, cf. VI 23 ἑαυτοῦ, 24 ἐνεπεδειξάμην, X 34 διάνοιαν, XV 27 διελύεσθε.

Pollucis (= Poll.) denique exemplar quinquies cum Γ facit, cf. VI 27, XIII 11 cum Θ, XVI 28, XVII 87, XX 134. Verum cave, ne auctoritati eius confisus, quae paucis illis lectionibus certe non iam evicta est, etiam singulare illud συνηδόμενοι XVII 87 cum Cobeto et Blassio recipias, cum et codices et papyrus et Bekkeri lexicographus hoc loco futurum tueantur.

Alii qui ex antiquitate servantur testes cum Excerptis Parisinis, Georgide, corpore Parisino comparandi sunt, apud quos vulgata praevaleat Isocratis memoria. E quibus praeter ceteros nominandus est Stobaeus, cuius anthologii a Wachsmuthio (W) et ab Henseo (H) redintegrandi opera nondum absoluta est: quam ob rem voluminis quarti (florilegii quod dicitur partis posterioris inde a cap. 43) excerpta secundum Meinekei (M) editionem laudanda erant. Atque apud Stobaeum vix

quadraginta lectiones cum Γ conveniunt, cum plus quinquaginta vulgatam memoriam exceperint: inter quas haud rarae inveniuntur interpolationes pessimae (cf. X 21, 28, 43, 52, XI 33, XII 16, XIII 3, 43, 44, 46). paucissimae codicis Γ corruptelam sanant (cf. XI 34 μέτιθι et [ἀπ' αὐτῶν], XII 22 οὐ μόνον (δ'), 60 ἐξισοῦσθαι, XIII 73 πλείονος, XXI 8 ἧς). Frequentes accedunt loci, quibus codicum vulgatorum pars tantum differt, frequentes etiam, quibus Stobaeus cum singulis codicibus vulgatis (e. g. cum Λ novies: X 16, 23, 27, 28, 30, XII 14, 16, 18, XXI 31) vel cum aliis testibus quibusdam facit. Lectiones autem singulares in anthologio obviae rarissime videntur genuinae esse (cf. X 19 κτημάτων cum Pap. Syro Exc.Vind., IX 2 καθ' ἑκάστην βουλεύεσθαι τὴν ἡμέραν, XXI 32 τελείους), plerumque falsae sunt (cf. e. g. VII 21, X 19, 21, 27, 28, 43, XI 3, 22, 23, 28, 32, 33, 35, XII 14, 16, 18, 22, 55, 59, 60, XIII 44, 45, etc.).

Cum Stobaeo componendum est Orionis gnomologium (cf. VII 2, 21, X 7, 16, 18, XII 44), quod praeter codicum memoriam mixtam — cum Γ ter, cum ΓΛ ter, cum ΓΘ semel, cum ΘΛ bis: VII 2 recte, cum Λ(Π) bis — permultas exhibet corruptelas peculiares. Quarum unam hic commemorabo, quae archetypi indolem aperte significat: VII 21 σωφροσύνην ἂν καὶ δικαιοσύνην Γ cf. XIX 274] σωφροσύνην ἢ δικαιοσύνην ἂν Λ, ἢ δικαιοσύνην Θ, δικαιοσύνην ἂν Stob., σωφροσύνην ἂν Orio, unde hanc archetypi lectionem elicias σωφροσυνην ἀν (supra: ᴋ δικαιοσυνην).

Permagnus praeterea testium est numerus, de quibus singillatim agere operae pretium non est, cum una alterave lectione aut Urbinatis aut vulgatae memoriae firmata codicis adhibiti cognitionem idoneam non suppeditent. Quid quod Bachmanni Anecdota Graeca (= Bachm. An. Gr.) quater cum Urbinate (XIV 151 bis, XVII 50, XIX 28 cum Θ), semel cum ΛΠ (XI 33) congruunt, quod Suidas, Hesychius, alii*) vulgatam memoriam aliquatenus videntur praeferre? Satis iam superque et ex codicibus et ex papyris testimoniisque demonstratum est, memoriam Isocrateam antiquis temporibus diversissimam fuisse, cum hinc codex Urbinas (vel Harpocrationis liber), hinc codices vulgati ΘΛΠ (ΣΥ) et papyrus Berolinensis orationis Demoniceae

---

*) Gnomologium Byzantinum (= Gnomol. Byz.) composuit Wachsmuth, Studien zu den griech. Florilegien 1882 p. 166/207; Excerpta Vindobonensia (= Exc.Vind.) apud Stob. floril. ed. Meineke IV p. 290 sq. quaeras; Lexicon Vindobonense (= Lex.Vind.) recensuit Nauck, Petropoli 1867. Videas etiam Keilii indicem fontium in Anal. Isocr. p. 150/5.

terminos quasi corruptionis designent. Inter quos ceteri testes ita fluctuant, ut omnes depravationis gradus percurrant. Neque tamen unus ex omnibus testis est productus, qui memoriam Isocrateam a codicibus ita alienam ostenderit, ut originem eius propriam statuere cogamur. Atque adeo Aristoteles, testis omnium antiquissimus, qui Isocratis (Panegyrici potissimum) verba saepe doctrinae suae exempla attulit, in universum cum codicibus concordat, quamquam aut discipulus aliquis magistri lectiones excipiens locos illos minus accurate reddidit (cf. Fr. Marx, Aristoteles' Rhetorik, Berichte der sächs. Gesellsch. der Wissensch. 1900 p. 263/7) aut Aristoteles ipse — id quod veri est similius — locos Isocrateos ex memoria laudatos hic illic commutavit (cf. Vahlen, über einige Citate in Aristoteles' Rhetorik, Berichte der Berliner Akad. der Wissensch. 1902 p. 189/94).

Antiquissimum de orationum Isocratearum corporibus quibusdam testimonium apud Dionysium Halic. de Isocr. c. 18 legitur hoc: μηθεὶς δ' ἀγνοεῖν ⟨μ'⟩ ὑπολάβῃ, μήθ' ὅτι Ἀφαρεὺς ὁ πρόγονός τε καὶ εἰσποίητος Ἰσοκράτει γενόμενος ἐν τῷ πρὸς Μεγακλείδην περὶ τῆς Ἀντιδόσεως λόγῳ διορίζεται μηδεμίαν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπόθεσιν εἰς δικαστήριον γεγράφθαι, μήθ' ὅτι δέσμας πάνυ πολλὰς δικανικῶν λόγων Ἰσοκρατείων περιφέρεσθαί φησιν ὑπὸ τῶν βυβλιοπωλῶν Ἀριστοτέλης ... ἱκανὸν δὲ ἡγησάμενος εἶναι τῆς ἀληθείας βεβαιωτὴν τὸν Ἀθηναῖον Κηφισόδωρον, ὃς καὶ συνεβίωσεν Ἰσοκράτει καὶ γνησιώτατος ἀκουστὴς ἐγένετο καὶ τὴν ἀπολογίαν τὴν ὑπὲρ αὐτοῦ τὴν πάνυ θαυμαστὴν ἐν ταῖς πρὸς Ἀριστοτέλην ἀντιγραφαῖς ἐποιήσατο, πιστεύω γεγράφθαι λόγους τινὰς ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς εἰς δικαστήρια οὐ μέντοι πολλούς. Unde Isocrate etiam vivo orationes eius iudiciales nondum coactas et ab ipso auctore probatas fuisse dilucidum est, quoniam si ita se res haberet, Aristotelis testimonium de fasciculis orationum multis a librariis venditis fidem non haberet. Neque orationes illas a familiari aliquo post oratoris mortem ex scriniis protractas esse, idoneus testis est Aphareus Isocratis privignus, qui orationes forenses a patre unquam compositas esse plane negavit; nam Aphareum ipsum, qui et genere proximus et orator erat, suam de orationibus illis auctoritatem ipsis orationibus in publicum emissis vel alicui alii traditis refutavisse veri est dissimillimum. Sed orationes iudiciales Isocratis nobis servatae sunt genuinae, quas oratore iam mortuo a viro aliquo alieno — eloquentiae studioso vel bibliothecario — ex permultis

orationibus sub nomine eius circumlatis segregatas atque collectas esse patet.

Id referendum videtur ad studia cum aliorum grammaticorum tum Callimachi, qui etiam operum Demosthenis indicem criticum confecit orationum versibus diligenter indicatis (cf. Athen. VI 244a). Atque in Isocratis codice Urbinate reliquiae exstant stichometriae, quae cum stichometria Demosthenica convenit. Corpus autem quod tenemus Isocrateum esse perantiquum exploratum est, quoniam omnes qui verba Isocratis commemoraverunt testes in orationibus servatis (etiam in subditiciis duabus) versantur, praeter quas nisi incerta memoriae Isocrateae vestigia non supersunt. Quin etiam libri qui nobis traditi sunt omnes et corporis Isocratei ambitu et orationum ordine et singularum orationum condicione ita inter se coniuncti sunt, ut omnes originem duxisse necesse sit ex archetypo communi. Quem temporibus antiquissimis, id est ineuntibus Alexandrinorum temporibus ascribendum esse ex eo ipso cognoscitur, quod codex Urbinas (saeculi IX./X. liber) librum aliquem saec. I./II. p. Chr. n. ad verbum prope videtur expressisse, lectiones autem vulgatae ex parte iam apud Dionysium Halic. inveniuntur. Unde Callimachum ipsum de Isocratis orationibus colligendis et recensendis bene meruisse probabilis est coniectura. Editionem vero corporis illius quis instituerit nescimus.

Archetypum nunc ex omnibus fidelissime repraesentat codex Urbinas optimus, qui Harpocrationis librum paene aequiperat. Corruptio autem verborum Isocrateorum, quae iam ante corpus Isocrateum collectum in orationum singularum exemplaribus gliscere coeperat (cf. imprimis orationem ad Nicoclem interpolatam, orationem contra sophistas mancam), aetate Alexandrina longius progressa est ita, ut vix primis p. Chr. n. saeculis — id quod papyri et testimonia docent — unus liber alterius similis esset. Eo ex numero codicum depravatorum liber ille fuit, qui extremis temporibus Romanis vel Byzantinis primis vulgatam codicum ΘΛΠ(Φ) memoriam excepit et edidit: eadem a librariis correcta, contaminata, corrupta in codicum Θ (Φ Photii?) et ΛΠ classes divisa est. Sed etiam alii ex antiquitate manserunt libri separati, e quibus corpuscula sententiosa Excerptorum Parisinorum, Georgidis, corporis Parisini, alia hausta sunt, cum peculiarem orationis Demoniceae memoriam in codicibus ΣΥ manibus teneamus.

Caput IV.

De orationum Isocratearum temporibus et fide.

Priusquam ad orationum verba ex codicibus constituenda accedamus, anquirendum videtur, quid de temporibus, quid de auctore cuiusque orationis iudicemus. Nam genuinae alia certe est ratio atque subditiciae, orationis ab oratore iuvene conditae alia certe atque senilis. Atque etiam orationum genera respicienda sunt, quae diversas praecipiant scribendi leges, cum — ut exemplo utar — hiatus evitandi norma in orationibus foro destinatis minus severe observetur quam in deliberativis. Ex temporibus denique idoneus orationum ordo constitui potest, quem et in codicibus et in editionibus plane ineptum esse nemo est qui ignoret. In omnibus enim — id unum hic commemorabo — orationum forensium classis in orationum fine posita est, qui ordo temporibus quam maxime reluctatur.

Sed dixerit aliquis, orationum seriem in editionibus servatam, quam Hieronymus Wolfius (1553 et 1570) descripsit, adeo probari coeptam esse, ut immutatio audaciae opprobrium excitet. Quod ne flocci quidem faciendum esse existimo, cum sani editoris sit, non solum verba singula ex ratione critica emendare, sed etiam omne scriptorum corpus, quoad fieri potest, in ordinem redigere meliorem. Potest sane corrigi Wolfii imprudentia, qua Plataicum esse orationem iudicialem censuit, („quae forensi omnino vehementia constat cum accusatione violentiae Thebanorum“); qua Panathenaicum scriptionem demonstrativam ab orationibus deliberativis et orationem contra sophistas ab encomiis sophisticis contra sophistas scriptis avulsit; qua Euagorae Cyprii laudationem orationibus Nicocleis propinquam et graves Athenarum laudes in Panathenaico cum vanis Helenae et Busiridis laudationibus sophisticis composuit. Immo etiam epistola olim nona ad Archidamum data, quam editiones veteres ex codice manco descriptae omiserunt (cf. p. LXIV), casu aliquo locum obtinuit ultimum, cum epistolarum octo priorum series iam in editione Veneta 1543 (Farreae) sursum deorsum conversa sit.

Quaeras fortasse cur non Urbinatis ordinem sequamur? Id libri indoles supra (p. XCIII) demonstrata vetat, quoniam orationum iudicialium numerus in eo mancus et ordo turbatus est. Atque archetypi ordo, quem cum probabilitate aliqua enucleavimus, non omnino videtur aptus

esse, praesertim cum temporibus non respectis et orationes iudiciales in ultimam orationum sedem relegaverit et orationem de permutatione cum illis copulaverit, quae cum generis mixti sit cum demonstrativis aut deliberativis rectius componitur quam cum forensibus. Causa enim Lysimachea ficta (ἀσεβείας) oratori ansam dedit, ut sub specie orationis iudicialis et vitam suam et disciplinam et scholam defenderet privataque de arte oratoria merita ostenderet. Itaque oratio illa neque ad iudiciales proprie pertinet neque cum demonstrationibus sophisticis apte comparabitur: nam contra sophistas oratio in arte sophistica tota versatur; Antidosis vero quadraginta fere annis post composita intellegi non potest nisi ex mente oratoris ad negotia publica dudum conversi, quae tunc nondum attigerat. Quapropter Antidosis, si tempora spectas, cum orationibus deliberativis commode coniungetur, quarum et genus dicendi universum servat et partes nonnullas ad verbum laudatas retinet.

Atque scriptorum Isocrateorum classes eminent quattuor, quae non solum argumentis tractatis sed etiam temporibus seiunctae sunt. Etenim orationes proprie iudiciales et ex temporibus et ex arte nondum perfecta primum locum obtinent, quarum ultima est Aegineticus circa annum 391/0 confectus. Quas excipit classis laudationum et adhortationum sophistice comparatarum, inter quas oratio contra sophistas, quae est προτρεπτικός, iisdem prope atque Aegineticus temporibus (circa annum 390) scripta initio ponenda est. Continuantur illi laudationes Helenae et Busiridis sophistarum aliquorum conamina impugnantes, quae licet in prooemiis sophistarum artem acriter perstringant, eandem artem in laudando aperte demonstrant. Quibuscum arte cohaerent sophistica de vita formanda praecepta, adhortationes dico Isocratis personati ad Demonicum, ipsius Isocratis ad Nicoclem et ad Cypriorum populum datas; his Euagoras et tempore proximus et consilio similis est, cum Nicocli filio virtutis exemplum praebeat sub laudatione patris ab encomiis sophisticis plane diversa. Ne Cyprias quidem orationes cum Demonicea coniunctas laudationibus sophisticis adiungere dubitavi, quamquam si temporum ordinem spectas Panegyricus intercedit atque etiam Plataicus sub eadem tempora videtur conscriptus esse atque admonitiones. Sed orationes illae, Panegyricus et Plataicus, quia primum oratorem πολιτικόν ostendunt, iam tertii orationum deliberativarum vel politicarum generis agmen ducunt, eaque classis orationes gravissimas et summa cum arte perfectas complectitur inde a Panegyrico (anni 380) usque ad Panathenaicum (anni 339). In fine demum totius ordinis

epistolae quae vocantur collocabuntur pariter atque in codicibus comprehensae, quae licet inter se argumenti plane diversi sint ab orationibus tamen manifesto differunt. Prooemia nempe sunt orationum suasoriarum, quae epistolae formam velut Philippus induerunt, et litterae commendaticiae privatae et epistolae suasoriae minores ad Philippum missae, quarum priori brevis Alexandri filii admonitio accedit. Quae litterae ad temporum ordinem facile digerendae inde ab anno 367 usque ad oratoris mortem anni 338 procedunt.

Quibus praemissis iam ad singulas orationes tractandas aggrediamur, virorum doctorum de unaquaque studiis diligenter respectis et enumeratis. Quae commentationum de Isocrate series ut plena proponatur, e re visum est omnes etiam de Isocratis vita et scriptis quaestiones generales, omnes etiam de Isocrate rhetore et magistro libellos sub uno conspectu hic colligere, quia in iis de singulis quoque orationibus haud raro disputatur. Atque egerunt

de Isocratis vita et scriptis

Bréquigny, Vies des Anciens Orateurs Grecs avec des Réflexions sur leur Éloquence, de Notices de leurs Écrits, et de Traductions de quelques uns de leurs discours, vol. I Isocrate, Paris 1752 — G. Ben. Schirach, Dissertationes II de vita et genere scribendi Isocratis additis nonnullis ad loca quaedam Isocratis observationibus, Halae Magd. 1765 — J. Bilmark, de Isocrate oratore, Aboae 1798 — P. J. Leloup, Commentatio de Isocrate, Bonnae 1823 — G. Fr. Drescher, Isokrates väterlicher Rat an den jungen Demonikos. Aus dem Griechischen mit Anmerkungen und Darstellung des Lebens des Isokrates, Büdingen 1826 — J. G. Pfund, de Isocratis vita et scriptis exposuit quaedam, Progr. Berol. 1833 — Ant. Mang, de Isocratis ingenio et praestantia commentatio, Progr. Neuburg a. d. Donau 1835 — A. Lichtenauer, de Isocrate, Progr. Landshut 1843 — Joh. Bakius, Scholica hypomnemata vol. III (Quaestiones Isocrateae p. 48/119), Lugduni Batav. 1844 — J. T. Halbertsma, Quaestiones Isocrateae, Mnemosyne IV 1855 p. 218/29 (quaest. I et III) — H. P. Schroeder, Quaestiones Isocrateae duae, Dissert. Rheno-Traiect. 1859 — Wilh. Oncken, Isokrates und Athen, Heidelberg 1862 — Friedr. Blass, die attische Beredsamkeit II Leipzig 1874, II[2] 1892 — Errico Girardi, Cenno storico-critico della vita ed opere d'Isocrate, Napoli 1875 — H. G. A. Leignes Bakhoven, Twee hoofdstukken over Isocrates, Deventer 1877 — J. de Gregorio, de Isocratis vita, scriptis et discipulis, Panormi 1883 — Fr. Susemihl, de vita Isocratis, Index Gryphisw. 1884 — Bruno Keil, Analecta Isocratea (Dissert. Gryphisw. 1884), Lipsiae 1885 p. 1/12, 89/94 — E. Lippelt, Quaestiones biographicae, Dissert. Bonn. 1889 p. 8/13 — Fr. Koepp, Isokrates als Politiker, Preussische Jahrbücher LXX 1892 p. 472/87 — U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Aristoteles und Athen, Berlin 1893 hic illic — S. Spitzer, das staatliche Ehrgefühl bei Isokrates, Zeitschr. f. d. österreich. Gymnas. 1895 p. 385/97 — Jul. Beloch, Griechische Geschichte II,

Strassburg 1897 p. 371 sq., 528 sq., passim — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V, Stuttgart 1902 p. 329 sq., passim — Wilh. Christ, Geschichte der griechischen Literatur, 4. Aufl. München 1905 p. 389/97 — Cf. etiam praefationes Benseleri in translatione Isocratis Germanica, Prenzlau 1829 p. 17/85; eiusdem Benseleri 1854 I p. 9/16; Ad. Henr. Christiani in translatione Isocratis Germanica, Stuttgart 1832 p. 5/18; Havetii 1862 p. XVII/CIII; Rauchensteinii ed. V 1882 p. 8/25; Keilii 1890 p. V/XIX;

de Isocrate rhetore et magistro:

Baumgarten-Crusius, de oratoribus Graecis, maxime Isocrate, egregiis institutionis publicae magistris, Progr. Misniae 1833 — H. Sauppe, Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft 1835 p. 403/11 — K. H. Funkhänel, Isokrates und Demosthenes, Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft 1837 p. 485/94 — Petr. Henn, de Isocrate rhetore, Dissert. Hal. 1861 — Matthiessen, Einige Andeutungen über die Richtung und den Einfluss der Isokrateischen Schule, Progr. Plön 1865 — H. Henkel, Xenophon und Isokrates, Progr. Salzwedel 1866 — Paul Sanneg, de schola Isocratea, pars I Dissert. Hal. 1867 — Rob. Schandau, de Isocratis doctrina rhetorica et ethica, Dissert. Vratisl. 1869 — Ἀ. Κυπριανός, Τὰ ἀπόρρητα τοῦ Ἰσοκράτους ἢ περὶ λόγων ἐσχηματισμένων (opus posthumum), Ἀθῆναι 1871 — Car. Reinhardt, de Isocratis aemulis, Dissert. Bonn. 1873, cf. Sauppe, Götting. Gel. Anz. 1873 p. 1735/40 (= Ausgew. Schr. p. 686/89) — Ad. Büchle, die Pädagogik des Isokrates, Progr. Baden 1873 — Otto Kohl, de Isocratis suasoriarum dispositione, Progr. Kreuznach 1874 — M. G. Demitsas, Κριτικά, Ἀθήναιον VI 1878 p. 393/416 (contra A. Cyprianum) — G. Boros, De arte oratoria Isocratea, Budapestini 1879 — C. G. Cattaneo, Isocrate, Milano 1879 (cf. Blass, Jahresbericht 1880 p. 189) — G. Teichmüller, Literarische Fehden im 4. Jh. v. Chr., Breslau 1881 (cf. Albrecht, Jahresberichte 1885 p. 86/91) — W. Herforth, über die Nachahmung des isäischen und isokratischen Stils bei Demosthenes, Progr. Grünberg 1880 — Th. Klett, das Verhältnis des Isokrates zur Sophistik, Progr. Ulm 1880 — K. Schwabe, de genere dicendi Isocrateo, Dissert. Hal. 1883 — K. Peters, de Isocratis studio numerorum, Festschrift f. Raspe, Parchim 1883 p. 8/19 — J. V. Novák, Platon und die Rhetorik (c. 5), Jahrb. f. class. Philol. Supplem. XIII 1884 p. 526/39 — L. Waber, Isokrates u. d. am Schlusse von Platons Euthydem gezeichnete Rhetor, Progr. Kremsier 1886 — Arn. Schaefer, Demosthenes u. s. Zeit, (1858), 2. Aufl. Leipzig 1887 passim — E. Maass, Herodot und Isokrates, Hermes XXII 1887 p. 581/95 — K. Josephy, der oratorische Numerus bei Isokrates und Demosthenes mit Berücksichtigung der Lehre der alten Rhetoren, Dissert. Turic. 1888 — Ch. Huit, Platon et Isocrate, Revue des Études grecques 1888 p. 49/60 — J. Engel, Isokrates, Macchiavelli, Fichte; Progr. 1889 (Leipzig, Fock) — Ferd. Dümmler, Akademika, Giessen 1889; idem, Chronologische Beiträge zu einigen platonischen Dialogen aus den Reden des Isokrates, Basel 1890 — P. Wendland, über die Tendenz des platonischen Menexenos, Hermes XXV 1890 p. 173 sq. — G. Kaibel, Xenophons Kynegetikos, Hermes XXV 1890 p. 591 sq. — R. v. Scala, zur philosophischen Bildung des Isokrates, Jahrbücher f. class. Philol. CXLIII 1891 p. 445/48; idem, Isokrates und die Geschichtsschreibung, Verhandl. der Philologenversammlung in München

1891 p. 102/21 — Fr. Blass, de numeris Isocrateis, Kiliae 1891 — Γ. Κυριακίδης. Θωμᾶς ὁ μάγιστρος καὶ Ἰσοκράτης, Dissert. Erlang. 1893 — E. J. Conrotte, Isocrate et Gregoire de Nazianze, Le Musée Belge I 1897 p. 236/40 (cf. ad Euagoram); idem, Pindare et Isocrate, le lyrisme et l'éloge funèbre, Le Musée Belge II 1898 p. 168/87 — E. Norden, die antike Kunstprosa I 1898 p. 113/19 — F. Strowski, de Isocratis paedagogia, Albiae 1898 — J. G. Brambs, Studien zu den Werken Julians des Apostaten, pars II (c. 4. Julian als Nachahmer des Isokrates p. 18/37), Progr. Eichstätt 1899 — Oct. Navarre, Essai sur la Rhétorique grecque avant Aristote, Paris 1900 p. 177/207 — J. Mesk, Demosthenes und Isokrates, Wiener Studien XXIII 1901 p. 209/12 — K. Hubik, Alkidamas oder Isokrates? Ein Beitrag zur Geschichte der griechischen Rhetorik, Wiener Studien XXIII 1901 p. 234/51 — Fr. Blass, die Rhythmen der attischen Kunstprosa: Isokrates, Demosthenes, Platon; Leipzig 1901 — Μ. Παντάζης. ἡ Ἰσοκράτειος ῥητορική, Ἀθηνᾶ XVI 1904 p. 88/115 — P. Wendland, Anaximenes von Lampsakos, (Hermes XXXIX 1904 p. 513/38 passim) Berlin 1905 p. 35 sq. — H. Gomperz, Isokrates und die Sokratik, Wiener Studien XXVII 1905 p. 163/207 — Cf. studia ad libellorum censuram pertinentia Blassii: Bursians Jahresberichte I 1873 p. 268/89, III 1874/5 p. 475/93, IX 1877 p. 249/97, XXI 1880 p. 177/210, XXX 1882 p. 221/50, Hüttneri: ibidem XLVI 1886 p. 32/44; Jacobii: Jahresberichte des Philologischen Vereins zu Berlin I 1874 p. 785/8, II 1876 p. 6/20, III 1877 p. 18/24, IV 1878 p. 47/53, VI 1880 p. 187/202, Albrechtii: ibidem XI 1885 p. 49/103, XVI 1890 p. 1/38.

Patefacta nunc est via ad orationes ipsas considerandas, primum quidem ad forenses, inter quas antiquissima

I. πρὸς Εὐθύνουν ἀμάρτυρος (21)

habitam se fert paulo post annum 403, quo triginta virorum dominatio a populari factione fracta est (cf. § 2/3, 11). Nec tamen in foro potest dicta esse, cum et fraudis commissae et actionis institutae explicatio neglecta (cf. § 3 ἐν τῷ τότε χρόνῳ: quid vero ἐν δὲ τῷ νῦν?) sophistarum scholam redoleat et argumentatio inanis ab oratione vere iudiciali toto caelo distet. Immo actor se amici vice totum oratoris munus in se suscepisse profitetur (§ 1 πάντα ὑπὲρ αὐτοῦ λέγειν ἀναγκάζομαι), ut haec deuterologia omnia, quae in causa sint, exsequi possit: quod cogitate videtur statutum esse, cum id in orationibus iudicialibus servatis fieri non soleat (sed cf. Lys. XXXII). Denique testimonia, Timodemi videlicet (§ 14) et propinquorum (§ 20/21), quos produci e re necesse erat, consulto omissa sunt, ut amartyrus fieret ieiunus sophistarumque aliquorum scholae conveniens, minime Isocrati. Nimirum et hiatus libere admissus (cf. Benseler, de hiatu p. 54/6 et in edit. 1851 vol. I p. XI n. 1, Galle, de Isocratis oratione Trapezitica p. 9) et rigida verborum compositio, quae

sententiis commatibusque inter se contrariis conformatur, et abundans figurarum quae vocantur Gorgianarum copia ab Isocratis usu tantopere discrepant, ut Gorgiam potius hanc orationem („argutam, nitidam" Dobraeus ait) scripsisse contendas, quam summum orationis levigatae et politae magistrum (cf. Benseler ad Areopag. p. 394/5). Atque Isocratem de deposito quidem orationem edidisse ipse in Panegyrico § 188 testis est. Aequales autem cum orationem illam (deperditam?) omni videlicet arte excellentem aemularentur, posterioribus iudicium de Amartyro hoc subditicio praescripserunt. Philostratus enim, cum orationem hanc cum Archidamo inter optimas oratoris lucubrationes numeraret (βίοι σοφ. I 17, 3), iudicium videtur conformavisse ad Isocratis illud cum aequalibus certamen; quo factum est, ut de Isocratis stilo proprio plane erraret (cf. ὁ δὲ Ἀμάρτυρος ἰσχὺν ἐνδείκνυται κεκολασμένην ἐς ῥυθμούς· νόημα γὰρ ἐκ νοήματος ἐς περιόδους ἰσοκώλους τελευτᾷ).

Genuinum Isocratis Amartyrum sub oratione Trapezitica latere olim conieceram, cum in Trapezitico quoque, qui consimilis argumenti est (conferas I 3 cum V 8), sceleris perpetrati quidem testes non vocentur: quare eandem orationem Amartyrum nuncupare licet, cf. § 2 τὰ γὰρ συμβόλαια τὰ πρὸς τοὺς ἐπὶ ταῖς τραπέζαις ἄνευ μαρτύρων γίγνεται. Cui coniecturae, quae certis argumentis neque evinci neque refelli potest, nunc non insisto, neque locorum aliquorum consensum (I 14 = V 46, I 15 = V 48, cf. I 2 = II 16) nunc urgeo, ut alteram utram orationem imitatione ex altera expressam esse comprobem. Nam cum Isocrates, quamvis de orationibus suis ab aliis expilatis identidem conquestus sit (XIX 74, XX 94, ep. II 7, cf. etiam Alcidam. περὶ σοφιστῶν § 4), hic illic alios auctores (Gorgiam potissimum) excerpserit ipse, e sententiarum congruentia neque constat utra prior sit oratio neque de orationum auctoribus certi quidquam colligitur.

Atque Amartyrum contra Euthynum scriptum, quem ut initio ordinis ponamus et fictum orationis tempus et putida dictio ad usum sophistarum vetustorum accommodata suadent, in fine mancum esse Blassius perspexit, cum sententiarum contextus minime absolutus et oratio extrema sine epilogo ullo abrupta sit. Quocirca Aristotelis illud (rhet. II 19) ὥσπερ καὶ Ἰσοκράτης ἔφη, δεινὸν εἶναι εἰ ὁ μὲν Εὔθυνος ἔμαθεν, αὐτὸς δὲ μὴ δυνήσεται εὑρεῖν, quod Sauppius (Oratores Att. II p. 227) ad artem oratoriam, Benselerus (ed. 1851 vol. II p. 277) inter apophthegmata rettulerunt, ad orationis illius partem deperditam pertinere potest, si modo philosophum illum verba ex hac ipsa

oratione hausisse putamus. Sed cum eum locos Isocratis ex memoria attulisse veri sit simile (cf. p. CXIII), similis orationis in Callimachum § 15 sententia eum inducere potuit, — id quod Usenero visum est —, ut de oratione quadam πρὸς Εὔθυνον (sic) Isocrati vindicata falsa referret. Ac ne Aristotelis testimonio orationis in Euthynum servatae fidem comprobatam esse statuas. Nam quod philosophus ῥυπαίνειν τὸν ἄνδρα βουλόμενος, ut ait Dionysius (de Isocr. c. 18), permultos orationum iudicialium Isocratearum fasciculos apud bibliopolas prostare dixit, Cephisodori testimonio haud dubie repugnat, ita ut Aristoteles de orationum illarum auctoritate testis sit levis nec satis fidus, qui de Isocratis orationibus forensibus ab ipso auctore omnino abdicatis (cf. XXI 11) facile deceptus sit. Quod vero Keilius (Anal. Isocr. p. 7 n. 2) nihil nos nisi epitomen orationis habere contendit, declamationis illius indole refutatur, quoniam comprehensiones singulae subtiliter admodum elaboratae et inter se coniunctae sunt, ut augeri nequeant nisi dictione uberiore ab usu Gorgiano aliena.

Cf. Blass II² p. 219/23, III 2² p. 377/8 — Christian, translat. German. 1836 p. 983/88 — H. Usener, Rhein. Mus. XXV 1870 p. 603 — E. Drerup, de Isocratis orationibus iudicialibus quaestiones selectae, Jahrbücher f. class. Philol. Supplem. XXII 1896 p. 364/71; idem, die Anfänge der rhetorischen Kunstprosa, ibidem XXVII 1901 p. 333/4.

Inter genuinas Isocratis orationes prima est

II. πρὸς Καλλίμαχον παραγραφή (18),

quam brevi post rem publicam anno 403 restitutam in iudicio dictam esse luculenter apparet (cf. § 1 sq., 45 sq.). Nam cum et publica vita et domestica triginta viris dominantibus perturbatae essent, rebus ad integrum redactis omnem discordiarum memoriam oblivione deleri iusserunt. Quod ut sancirent, paulo post populi ex Piraeo reditum Archino rogante omnibus, qui de iniuriis sub tyrannide admissis in ius vocarentur, exceptionem fori (παραγραφήν) dederunt. Atque Callimachus primus legibus non obtemperans et iusiurandum contemnens actionem instituit exceptione vetitam. Inde orationem hanc circa annum 400 compositam esse (cf. § 11), vero videtur proximum esse; accuratius orationis tempus definiri nequit.

De orationis fide autem viris doctis olim controversia fuit, quoniam Harpocrationis (s. v. Ῥίνων) codex unus B falso Isaeum orationis auctorem indicavit. Quapropter cum iam Fulvius Ursinus (Virgil. cum Gr. script. coll. p. 230) orationem Callimacheam Isocrati abiudicavisset, alii Ursinum secuti eam ab Isocratis genere dicendi nimis alienam esse censuerunt: inter quos Dobraeus nominandus est

(„quaeritur an Isocratis“ inquit) et Spengelius („simodo haec Isocratis est“: συναγωγὴ τεχνῶν 1828 p. IX, contra quem disputavit Sauppius, Epistola critica 1841 p. 146). Denique T. J. Halbertsma (Quaestiones Isocrateae, Mnemosyne IV 1855 p. 220) Cobeti opinionem confirmare studuit, orationes iudiciales omnes sub Isocratis nomine traditas — praecipue Aegineticam, Trapeziticam, Callimacheam, quae cum integrae essent in iudicium vocari possent — Isocrati falso attribui solere cum „simplici et ut ita dicam Lysiaca dictione“ et argumentandi ratione bene excogitata ab illo differrent. „Nam neque Isocrates nec quisquam alius credo sibi dedecori duxisset orationes illas, quarum tanta praestantia est, ut vix orationibus Lysiae et Demosthenis, qui quidem in hoc genere versentur, cedant“. En oratoris obtrectatorem, qui elocutionis floridae magistrum simpliciter dicere non potuisse ratus est pariter atque summi oratoris aemuli, quos Panegyricus (cf. § 11/12) profligavit: ἢ σφᾶς μὲν διορῶντας τὰς μετριότητας, τὸν δ'ἀκριβῶς ἐπιστάμενον λέγειν ἁπλῶς οὐκ ἂν δυνάμενον εἰπεῖν. Re vera oratio in Callimachum, quae quidem a genere demonstrativo necessario distat, et verborum usitatorum eleganti ac subtili delectu et periodorum structura levigata et figuris moderate adhibitis stilum vere Isocrateum omnibus numeris ostendit.

Cf. Blass II² p. 213/7 — Christian, translat. German. 1836 p. 912/16 — Herm. Starke, Commentatio de Isocratis orationibus πρὸς Καλλίμαχον et περὶ τοῦ ζεύγους, Progr. Posen 1856 — Ivo Bruns, das literarische Porträt der Griechen, Berlin 1896 p. 480/1 — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 40.

Proxima est oratio

III. κατὰ Λοχίτου αἰκείας ἐπίλογος (20),

quam initio saeculi quarti scriptam esse inde colligitur, quod qui accusatur (νεώτερος § 21) annis dicitur minor esse, quam qui triginta virorum turbis interesse potuerit (§ 11). Civium autem discordia nuper videtur composita esse (cf. § 4, 10/11, 20), nisi forte scriptorem tritas iam de bello civili sententias protulisse putabimus (cf. IV 42, XVII 51, 123, XIX 319, XVIII 67), praesertim cum oratiunculae color ab orationibus deliberativis vix differat. Atque accurata causae descriptio, unde de tempore definiendo aliquid lucremur, desideratur. Immo vero oratio tota in eo est, ut contumelia actori illata exaggeretur, quae αὔξησις loci qui dicitur communis instar perorationi plane convenit. Cum Schaefero autem (Demosthenes II² p. 67 n. 5), qui formam orationis abruptam explanare studuit deuterologia statuta, facere non possum, quoniam ab ipso violato, quem in iudicio pri-

orem verba facere oportebat, oratio dicta est (cf. § 1, 22). Eam igitur forte mutilatam esse vix cuiquam probabis (cf. etiam orationem de bigis, Lys. XVIII, XXI), qua ex re oratorem apparet aut haec sola apud iudices post testes vocatos pronuntianda clienti tradidisse aut hanc solam orationis plenioris partem extremam — auctam fortasse et perpolitam — artis demonstrandae causa in publicum emisisse. Atque de orationis apud iudices auctoritate cogitans Zychae adversor orationem unquam ampliorem fuisse neganti, quoniam pauper ille accusator de plebe oriundus (§ 19) tumida hac et exsangui de contumeliis declamatione in iudicum offensionem incursurus certe fuit, nisi narratione concitata de iniuria accepta iam eorum animos permovisset. Qua narratione Isocratem, qui in ceteris orationibus haud inertem causidicum se praestitit, hac in causa non supersedisse consentaneum est, ut codicis Urbinatis memoria orationem hanc epilogum i. e. perorationem designans verum ostendat.

Cf. Blass II² p. 217/19 — Christian, translat. German. 1836 p. 967/74 — J. Zycha, Ist die XVI. und XX. Rede des Isokrates verstümmelt überliefert? Wiener Studien VI 1884 p. 23/29.

Orationi contra Lochitem aliquatenus similis est ea, quae sequitur

IV. περὶ τοῦ ζεύγους (16),

qua de quadrigis ab Alcibiade maiore quondam emptis Alcibiades filius a Tisia quodam — quem Diomedem vocant Andocides IV 26 et Ephorus apud Diodorum XIII 74, cf. Plut. Alc. 12 — in ius vocatus est. Atque filius ille, quem anno 416 exeunte vel 415 ineunte natum esse ex § 45 constat, nisi post aetatis annum septimum decimum, quo anno sui iuris esse coeperat, in iudicium adduci non potuit (cf. Aristot. πολιτ. Ἀθην. c. 41, 1). Unde accusationem, quam Tisias post alias ab aliis instructas (§ 1/2) instituit, non ante annum 399/8, immo nonnullis annis post intentam illi esse elucet. Contra ex oratione Lysiaca XIV. κατὰ Ἀλκιβιάδου, quam anno 394 dictam esse constat, terminus ante quem oratio de quadrigis — sic rectius appellabitur quam de bigis — composita est cognoscitur. Illius enim orationis auctor Isocratem nonnunquam acerrime perstrinxit, ut illum orationem Isocrateam περὶ τοῦ ζεύγους iam editam ante oculos habuisse manifestum sit. Quo orationem hanc circa annum 396/5 vulgatam esse probatur.

Sed orationis de bigis pariter atque orationis contra Lochitem nunc posterior pars tantum superest, qua postquam testes de quadrigis producti sunt, filius accusatus laudationem patris recitat.

Quam solam ab oratore non nihil retractatam in publicum emissam esse inde elucet, quod oratio haec secundum § 4 non iudicibus tantum, sed civibus omnibus destinata erat, etiam iunioribus post annum 415 natis, quos cum causa ageretur iudicum munere fungi nondum licuerat (τῶν δὲ νεωτέρων ἕνεκα, οἳ τῶν μὲν πραγμάτων ὕστεροι γεγόνασιν). Atque Rauchensteinius bene iam docuit laudes effusas, quibus Alcibiades pater a filio celebratur, iudicibus offensionem daturas fuisse, ut accusatus sibi ipsi detrimentum conscisceret. Alcibiadis autem maioris praeconium cum acerba in adversarios invectiva § 42/4, cum brevi de rei vita narratione, qua iudicum misericordia movetur, mirum quantum discrepat, ut ex eo ipso orationem iudicialem, quae accurata causae explicatione carere non potuit, in laudationem postea conversam esse perspiciatur. Erravit ergo Zycha, qui orationem absolutam nobis integram servatam esse affirmavit. Erravit etiam M. H. E. Meierus, cum „de Andocidis quae vulgo fertur oratione contra Alcibiadem" disputans (opuscula acad. I p. 276) orationem hanc deuterologiam appellavit, quandoquidem reus ipse eam habuit. Erravit imprimis Car. Mauve, cum erroribus quibusdam perductus, quos auctorem in enarrandis rebus ab Alcibiade gestis admisisse censuit, orationem Isocrati abiudicavit. Errores enim Caroli Mauvei sunt a me refutati in „quaestionibus selectis" p. 340 sq., ubi accuratius etiam de orationis indole eiusque cum oratione Lysiaca necessitudine disserui. Sufficiat hic addere, dictionem in diversis orationis partibus admodum diversam esse, cum in Alcibiadis encomio exornata et florida, in epilogo simplicior et orationi iudiciali magis conveniens sit.

Cf. Blass II² p. 224/9 — Christian, translat. German. 1836 p. 855/66 — Herm. Starke, Commentatio de Isocratis orationibus πρὸς Καλλίμαχον et περὶ τοῦ ζεύγους, Progr. Posen 1856 — R. Rauchenstein, über die Reden für und gegen den jüngeren Alkibiades bei Isocrates und Lysias, N. Schweizerisches Museum II 1862 p. 273/86 — Car. Chr. Mauve, de oratione Isocratea quae inscribitur „de bigis" disputatio, Diss. Arnhem. 1878 — J. Zycha, Ist die XVI. und XX. Rede des Isokrates verstümmelt überliefert? Wiener Studien VI 1884 p. 23/29 — Br. Keil, Analecta Isocratea 1885 p. 94/98, cf. Wochenschrift f. klass. Philol. 1885 col. 816 — A. Philippi, Alkibiades, Sokrates, Isokrates: Rhein. Mus. XLI 1886 p. 13/18 — H. Schultze, Quaestionum Isocratearum specimen. Commentatio de Isocratis oratione XVI., quae inscribitur περὶ τοῦ ζεύγους, Progr. Buxtehude 1886 — Hoyer, Alkibiades Vater und Sohn in der Rhetorenschule, Kreuznach 1887 — Fr. Nowack, de Isocratis περὶ τοῦ ζεύγους oratione (XVI) et Lysiae κατ' Ἀλκιβιάδου priore (XIV) quaestiones epicriticae. Commentationes in hon. Ribbeckii 1888 p. 463/74 — E. Drerup, de Isocratis orationibus iudicialibus quaestiones selectae, Jahrbücher f. class.

Philol. Supplem. XXII 1896 p. 339/55 — Ivo Bruns, das literarische Porträt der Griechen, Berlin 1896 p. 493/505 — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums IV 1901 p. 506/7.

Proximis annis ascribenda est oratio contra Pasionem celeberrimum argentarium de deposito, cui in codicibus et apud grammaticos titulus inditus est

V. Τραπεζιτικός (17).

Hanc post Lacedaemonios anno 394 Cononis classe apud Cnidum devictos et maris dominatione privatos compositam esse testis est orator § 36: ἄλλως τε καὶ Λακεδαιμονίων ἀρχόντων κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον τῆς θαλάττης. Sed mare, quod Atheniensium mercatoribus tunc apertum erat (cf. § 19 sq., 51 sq.), iam inde ab anno 391, cum Thibro Ioniae urbes ad Lacedaemoniorum foedus redegisset, Ecdicus et Teleutias oram maritimam a Lesbo usque ad Rhodum cum classe tenerent, commercio iterum periculosum fuit. Neque Thrasybuli expeditio, quae anno 389 commercium cum Ponto a periculo tutum restituit, ultra hunc annum Atheniensibus utilitatem attulit, cum Lacedaemoniorum classis iam anno 388 Anaxibio duce Atheniensibus occurreret. Satyrus autem, princeps Bosporanus, qui cum actoris patre affinitate coniunctus erat, orationis tempore adhuc vivus in urbe Theodosia oppugnanda interfectus est anno 393/2, si Diodoro XIV 93 fides est, anno 387, si Schaeferus (Rhein. Mus. XXXIII 1878 p. 424 sq., cf. CIA IV 2 no. 109b) Diodori errorem recte correxit. Qua de causa orationem Trapeziticam scriptam esse inter annos 394/1, propius autem ab anno 391 abesse, cum Pasionis fallacia causam produxerit, probabile est.

De orationis auctore viri docti dubitaverunt, postquam H. Wolfius (1570 II p. 712) eam declamationem sophisticam esse, cuius obiectiones in Pasionem fundamento carerent, suspicatus est. Atque imprimis elocutio offensioni fuit Benselero (de hiatu p. 54/6, cf. ed. 1851 vol. I p. X), Kaysero, Morawskio, Jacobio (Jahresberichte II 1876 p. 15), qui hiatum saepius admissum, phrasim aliquatenus nudam et pressam, dictiones aliquas ab Isocratis usu differentes in censum vocaverunt, ut Isocratem auctorem recusarent. Quam diversitatem equidem minime nego, neque tamen hoc argumento fretis nobis licet orationem Isocrati abiudicare. Etenim Isocratem in variis dicendi generibus, immo etiam in variis eiusdem generis orationibus aliquatenus varium se praestitisse supra iam dixi: alius est in Alcibiade praedicando, alius in plagarum contumelia exaggeranda, alius in Callimachi causa

simpliciter enarranda et defendenda, quacum Aeginetici indoles convenit. Num quis eundem etiam aliquanto remissius loqui potuisse infitias ibit? Sine ulla dubitatione logographus arte insignis orationem hanc, quae inter Isocratis orationes iudiciales fortasse praestantissima est, composuit, qua ipse Dionysius ad forensem illius facundiam illustrandam exemplo usus est, cum eam dictionis Isocrateae vestigia aperte prae se ferre iudicaret (de Isocr. c. 20). Atque sententiarum circuitus concinne neque tamen rigide ubivis formati sunt, quorum ambitus sane periodi demonstrativae modum raro exaequat. Figurae non desunt, etsi σχήματα quae dicuntur Gorgiana (praeter antithesim, quam figuram appellare nolo) raro inveniuntur (cf. § 8 ταῦτα συμβουλεύειν . . αὐτὸν ἐπιβουλεύοντα τοῖς ἐμοῖς, 47 μανίαν καὶ ἀμαθίαν etc.). Contra figurae ut ita dicam concertativae verborum artificem aperte produnt, velut triplex hypophora § 46/7 (cf. XIX 222/3), efficax praecisio § 23 (cf. II 10), polysyndeta rara (§ 2, 34), crebrae interrogationes (cf. Galle p. 34 sq.). Quae cum ita sint, cur alium aliquem sophistam auctorem orationis habeamus, quae ne praeclarissimo quidem scriptori dedecori esset, non video. Nimirum et perspicua orationis compositio et sagax argumentationis inventio summum artis magistrum demonstrant, qui tanta sollertia rem egit, ut intricata causae defensio nonnullis etiam ambigua et orationis subditiciae indicium fuerit. Grossii vero rationes, qui actionem ab oratore relatam neque sibi ipsi constare neque cum iure Attico convenire argute conatus est probare, simul ipse atque v. d. Galle plane refutavimus.

Cf. Blass II² p. 142, 229/34 — Christian. translat. German. 1836 p. 885/89 — F. Aen. H. Starke, de Isocratis orationibus forensibus commentationis specimen primum. De oratione Trapezitica, Dissert. Berol. 1845 — L. Kayser, Jahrb. f. class. Philol. LXXIII 1856 p. 356 sq. — G. Perrot, Demosthène et ses contemporains, Revue des deux mondes 1873 Nov. p. 407 sq. — K. v. Morawski, Bemerkungen zu den Attischen Rednern, Zeitschrift f. d. österreich. Gymnas. XXX 1879 p. 407/8 — P. L. Galle, de Isocratis oratione Trapezitica, Dissert. Lips. 1883 — Grosse, über Isokrates Trapezitikos, Progr. Arnstadt 1884 — E. Drerup de Isocratis orationibus iudicialibus quaestiones selectae, Jahrb. f. class. Philol. Supplem. XXII 1896 p. 355/63 — P. Galle, Beiträge zur Erklärung der XVII. Rede (Trapezitikos) des Isokrates und zur Frage ihrer Echtheit, Progr. Zittau 1896.

Orationum forensium agmen claudit oratio cui inscribitur

VI. Αἰγινητικός (19),

quam in Aeginetarum iudicio dictam esse de Thrasylochi cuiusdam Siphnii hereditate notandum est. De tempore, quod olim in controversia fuit, — Corais enim et Christian orationem temporibus

saeculi V ultimis ascripserunt, Odofr. Mueller (liber Aegineticorum 1817 p. 131) post annum 361 eam compositam esse statuit, — dubitatio nulla relicta est, postquam Blassius et Mendius subtilius de eo quaesiverunt. Nam cum oratio ab Atheniensi pro inquilino Aeginetico scripta sit, de eo tantum tempore cogitari potest, quo liberum inter Aeginetas et Athenienses commercium (ἐπιμειξία) erat; quod inde ab anno 404, quo Aeginetae ab Atheniensibus expulsi a Lysandro reducti sunt, usque ad annum 390/89 duravit, quo bellum piraticum Lacedaemoniis concitantibus ab Aeginetis contra Athenienses inceptum est. Eodem autem tempore Isocrates post ludum apertum ab orationibus forensibus componendis videtur destitisse. Atque accuratius orationis tempus eo describitur, quod testator Thrasylochus pluribus (duobus tribusve minimum) annis post Parum insulam a Pasino expugnatam (§ 18) mortuus est (cf. § 20 sq., 24), quo defuncto soror germana rem statim ad iudices detulit (§ 31, 43). Parus insula vero anno circiter 393 capta est, cum seditio, qua et Parus et Siphnus optimatium dominatione liberatae sunt, — Thrasylochum et Sopolim e numero optimatium fuisse Mendius p. 11 ostendit collatis §§ 13, 36, 7 —, nisi post pugnam apud Cnidum anno 394 commissam conflari non potuerit: quod aperte testatur Diodorus XIV 84 οἱ δὲ περὶ τὸν Κόνωνα . . . καὶ τὰς Κυκλάδας νήσους προσαγαγόμενοι κατέπλευσαν ἐπὶ Κύθηρα τὴν νῆσον, cf. Xenoph. Hellen. IV 8, 7. Hinc orationem Aegineticam anno 391 vel 390 ab Isocrate scriptam esse facile computatur, de cuius fide dubitatio nulla est, quoniam stilum Isocrateum a sublimitate demonstrativa aliquo modo remissum omni ex parte exhibet. Quae vero Hirschigius (Annotationes criticae 1849 p. 47: „Caeterum hanc orationem non esse Isocratis sed longe melioris notae oratoris, stilus simplex et naturalis satis indicat“) et post eum Halbertsma (cf. p. CXXII) de oratione hac „nitidissima“ (Dobraeus) hariolati sunt, vix verbo videntur commemoranda esse.

Cf. Blass II² p. 235/40 — Christian, translat. German. 1836 p. 940/45 — Nassau Noordewier, Isocratis Aegineticus (XIX) et Isaei oratio de Cironis hereditate ed. Ultrajecti 1886 — Ric. Mende, Prolegomena in Isocratis Aegineticam, Dissert. Lips. 1899.

Altera quae nunc sequitur orationum classis sophisticas continet declamationes et adhortationes, quae ex temporum ratione ordinandae haud exiguas afferunt ambiguitates, cum praeter orationem contra sophistas finibus quodammodo certis circumscribendam nulla viris

doctis dubitationem non iniecerit neque a nobis definite suo loco possit constitui. Ordinem tamen orationum aliqua cum probabilitate declarare licet, initio posita oratione

VII. κατὰ τῶν σοφιστῶν (13),

quam se composuisse, cum in iuvenes instituendi negotio versari coepisset, Isocrates ipse testis est in Antidosi § 193: ὅτ' ἠρχόμην περὶ ταύτην εἶναι τὴν πραγματείαν. Atque in oratione ipsa acerbe in eos invehitur, qui se docturos esse promiserunt, quomodo in iudicio contendendum sit, curiositatis videlicet et avaritiae praeceptores (§ 19/20). Porro certamina de negotiis privatis oratori laude et honore digno omnino non convenire in Antidosi proclamavit scriptor, ubi orationis contra sophistas summam repetivit (cf. imprimis § 276 sq.). Immo sub vitae finem orationum forensium, quas ipse non sine laude olim conscripserat, tantopere puduit Isocratem, ut eas prorsus oblivioni dare maluerit (cf. XXI 11). Unde eum vix ante annum 391/0, quo tempore fere orationes Trapezitica et Aeginetica conditae sunt, ludi magistrum exstitisse pro certo colligitur. Neque tamen ultra annum 390 multo descendere licet, quoniam obstant Helenae et Busiridis laudationes cum oratione contra sophistas arte ligatae, quam orator in Antidosi § 195 (anni 353) multis annis minorem se conscripsisse affirmavit (ὅτε μὲν ἦν νεώτερος).

Accuratius tempus orationis expedire studuerunt Platonis Phaedro comparato, qui honorificum hoc de Isocrate vaticinium continet 279 A: δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι· ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν προϊούσης τῆς ἡλικίας εἰ περὶ αὐτούς τε τοὺς λόγους, οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ, πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων, ἔτι τε εἰ αὐτῷ μὴ ἀποχρήσαι ταῦτα, ἐπὶ μείζω τις αὐτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρα· φύσει γάρ, ὦ φίλε, ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ. Nam cum artis oratoriae descriptio illic a Socrate data 269 D εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην iisdem fere verbis cum Isocratis sententia quadret, quam in oratione contra sophistas § 17/18 proposuit, libellorum illorum inter se necessitudinem negari vix posse perspicuum est. Verum enimvero valde dubitans quaero, num quid certi ad orationis huius tempus definiendum inde lucremur. Nempe de Phaedri tempore etiamnunc virorum doctissimorum vehementissima est contentio, cum alii id, quod alii ne cogitari quidem posse censeant, optime se habere statuant. Atque hi — commemorabo Spengelium,

Reinhardtium, Usenerum, Susemihlium, Rhodium, Albrechtium (1890 S. 26/27) Gerckium, Immischium, Christium (Histor. litt. Graec.[4] 1905 p. 454) — Isocratem a Platonis in Phaedro praeceptis pendere existimant, quoniam summum philosophum, postquam rhetor virtutem posse doceri diserte negavisset, benevolum de illo iudicium tulisse concedendum omnino non sit. Illi — commemorabo Bakium, Pluntkium, Blassium, Zycham, Dittenbergerum, Bergkium, Siebeckium, Natorpium, Holznerum, Holzingerum, Gomperzium — orationem contra sophistas priorem esse affirmant, quandoquidem Isocrates a Platone perfectus iam orator designetur, quod iudicium ad orationes forenses pertinere omnino non possit, praesertim cum oratio Lysiaca in eodem Phaedro carpta non iudicialis sit, sed amatoria. Quorum in virorum certamen descendere hic recuso sententiam tantummodo professus de Platone Isocratis aemulo, nisi forte et rhetor et philosophus verba illa congrua ex communi fonte hauserunt (fortasse ex Anonymo Iamblichi p. 577, 13 sq. Diels, cf. Gomperz p. 169). Iudicium vero de orationis contra sophistas tempore ex Platone minime constare manifestum est, quare quaestionem illam in medio nunc relinquere videtur tutissimum esse.

At paucis verbis etiam de orationis fine disserendum est, quem mancum esse Augerus (III p. 1/2) primus pervidit. Nam postquam orator artium scriptores (οἱ . . τὰς καλουμένας τέχνας γράψαι τολμήσαντες) refutavit (§ 19/20), civilis facundiae disciplinam, tametsi male a natura praediti ad iustitiam nulla arte institui possent, ad virtutem tamen praeparandam et exercendam quidem aptissimam esse asseruit (§ 21); quibusnam vero de causis haec ita se habere ipse cognovisset, se facile aliis quoque persuasurum esse (§ 22). Iam abrumpitur oratio sine epilogo, quem ab oratione admodum perpolita et ad demonstrationem facta abesse non posse luce clarius est, quoniam orator elegantissimus perorationem alibi nusquam neglexit. Quin etiam ne persuasionis quidem officio promisso functus est, quod invito oratore accidisse facile vides, quandoquidem se patefacturum esse non quid sentiat, sed cur sentiat pollicitus est: quod promissum non in scholae mysteriis, sed propalam in oratione ipsa exsolvendum fuisse quivis concedet (cf. etiam τοῖς ἄλλοις φανερὸν καταστήσειν = omnibus aliis, praesertim illis quorum pollicita orator criminatus erat, cf. τὰς τῶν ἄλλων ὑποσχέσεις διαλύειν). Denique ipsa verborum constructio orationem mutilatam esse pro certo declarat, quia praesumptionis formula ἵνα δὲ μὴ δοκῶ disceptationem nunquam concludit (cf. Frohberger-Gebauer, ad Lysiam XIII 38 p. 362/8, Albrecht,

Jahresberichte 1885 p. 84). Quid vero? In Antidosi § 276 sq., ubi sententiarum ordo ex oratione contra sophistas aperte repetitur (cf. verba in VII 21 et XIX 274 plane congruentia), eorum quae illic desunt summam servatam esse iam orationis illius anonymus interpres anni 1813 (qui est Angelus Mai) p. 108 et iterum Reinhardtius docuerunt. Atque in eadem oratione § 193 Isocrates se cum discipulis eadem agere et disserere atque in publico proclamavit. Quibus de causis et Zychae et Muenschero (Quaest. Isocr. p. 4/5, cf. Philolog. LVIII 1899 p. 96 sq.) orationis integritatem tuentibus iam pridem obluctatus sum (Philolog. LV 1896 p. 671/3) et omni modo nunc adversor. Contra sophistas igitur orationem, quae integra circumferretur, arcana venditare non nisi scholae clandestinis colloquiis redimenda, non initiatis religiose tacenda et occultanda credere patiemur Wilamowitzium (Aristoteles und Athen I p. 330 n.).

Cf. Blass II[2] p. 22 sq., 240/42 — J. Fr. Boissonade, Isocratis oratio adversus sophistas cum codice collata, Wolfs Litterar. Analekten II 1820 p. 85/88 — Christian, translat. German. 1835 p. 538/44 — Joh. Bake, de aemulatione Platonem inter et Isocratem, Scholica hypomnemata III 1844 p. 27/47 — Godofr. Stallbaum, Isocratea ad illustrandas Phaedri Platonici origines, Progr. Lips. 1850 — L. Spengel, Isokrates und Platon, Abhandl. der bayer. Akad. der Wissensch. 1855; idem, Philolog. XIX 1863 p. 594/98 — Leop. Kouvalina, die Prophetie in Platons Phaedrus und Isokrates Rede gegen die Sophisten, Progr. Marburg i. St. 1866 — F. Ueberweg, zu Isokrates, Philolog. XXVII 1868 p. 175/80 — Em. Pluntke, Platos Urteil über Isokrates, pars I Dissert. Jen. 1871 — Jos. Werber, die Rede des Isokrates gegen die Sophisten in ihren Beziehungen zu der Frage über die Abfassungszeit des Platonischen Phaedrus, Progr. Teschen 1872 — Fr. Rausch, Quaeritur quid ex vaticinio de Isocrate a Socrate in extrema parte Phaedri Platonici facto elici possit ad definiendum tempus quo dialogus exaratus esse existimandus sit, Budweis 1875 — J. Zycha, Bemerkungen zu den Anspielungen und Beziehungen in der XIII. und X. Rede des Isokrates, Progr. Wien 1880, cf. Albrecht Jahresber. 1885 p. 82/84 — H. Usener, Abfassungszeit des Platonischen Phaidros, Rhein. Mus. XXXV 1880 p. 131/51, cf. Albrecht l. l. p. 81/82 — Fr. Susemihl, die Abfassungszeit des platonischen Phaidros, Jahrb. f. class. Philol. CXXI 1880 p. 707/24 et CXXIII 1881 p. 657/70; idem, de Platonis Phaedro et Isocratis contra sophistas oratione dissertatio, Index Gryphisw. 1887 (cf. Albrecht 1890 p. 26/27); idem, über Isokrates XIII 9/13 und X 8/13, Rhein. Mus. LV 1900 p. 574/87 — W. Dittenberger, Sprachliche Kriterien für die Chronologie der platonischen Dialoge, Hermes XVI 1881 p. 341/42 — Th. Bergk, Fünf Abhandlungen, herausgeg. von G. Hinrichs, Leipzig 1883 p. 18/40, vgl. Rohde, Götting. Gel. Anz. 1884 p. 17 sq. = Kleine Schr. I p. 318/19 — H. Siebeck, zur Chronologie der Platonischen Dialoge, Jahrb. f. class. Philol. CXXXI 1885 p. 225/56 (cf. Albrecht 1890 p. 26/27) — P. Natorp, Platons Phaedros, Philolog. XLVIII 1889 p. 611 sq.; idem, Untersuchungen über Platos Phaedrus und Theaetet, Archiv

f. Gesch. d. Philos. XII 1898 p. 1/49, 159/86, XIII 1899 p. 1/22; idem, Platos Phaedros, Hermes XXXV 1900 p. 385/436 — P. Seliger, Platos Phaedros, Archiv f. Gesch. d. Philos. IV 1891 p. 215/38 — E. Holzner, Platons Phaedrus und die Sophistenrede des Isokrates, Prager Studien 1894 — A. Gercke, die alte Τέχνη ῥητορική und ihre Gegner, Hermes XXXII 1897 p. 341/81; idem, Isokrates XIII und Alkidamas, Rhein. Mus. LIV 1899 p. 404/18 — C. v. Holzinger, über Zweck, Veranlassung und Datierung des Platonischen Phaidros, Festschrift f. Vahlen 1900 S. 665/92 — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 331 sq. — O. Immisch, zum gegenwärtigen Stande der platonischen Frage, N. Jahrb. f. d. klass. Altert. I 1899 p. 540 sq.; idem, die antiken Angaben über die Entstehungszeit des Platonischen Phaedrus, Berichte der sächs. Gesellsch. d. Wissensch. 1904 p. 218/51 — Cf. etiam commentationes Matthiesseni, Sannegii, Reinhardtii, Teichmülleri, Klettii, Novakii, Waberi, Huitii, Duemmleri, Wendlandii, Scalae, Hubikii, Gomperzii, quas memoravi p. CXVIII sq.

Cum oratione contra sophistas componendae sunt laudationes duae sophisticae, quae proximis iam annis videntur conscriptae esse in honorem Helenae et Busiridis Aegyptii

VIII. Ἑλένης ἐγκώμιον (10)

IX. Βούσειρις (11),

quas cum Isocrates postea orationibus suasoriis totum se dederit, seriori eius aetati tribuere gravor. Atque certissimum hoc solum de Busiride scimus, orationem Polycratis, quam orator impugnat, scriptam fuisse post urbis moenia anno 393 a Conone restituta, quorum Polycrates — teste Phavorino apud Diogenem Laert. II 39 — in Socratis accusatione mentionem habuerat (de qua conferas Hirzel, Rhein. Mus. XLII 1887 p. 239 sq.). Haec enim declamatio, quam Socratis accusatoribus circa Anytum et Meletum traditam fuisse Busiridis argumentum inepte narrat, ab Isocrate (§ 4) una cum Busiride commemoratur, a quo longiore temporis intervallo certe non distat. Neque multo post orationes illas divulgatas Isocrates in auctorem videtur invectus esse, quoniam sophistam, qui propter mutatam vitae conditionem ad iuvenes instituendos nuper accessisse dicitur, duabus illis orationibus maxime gloriari affirmat. Neve in eo haereas, quod in orationis contextu vulgato § 50 Isocrates se adversario minorem natu praedicat, ut Polycratem quinquagenarium fere coepisse et declamationes scribere et ludum habere sumendum esset. Nam hoc insolenti debetur memoriae vulgatae interpolationi, quae certissime eo cognoscitur, quod non solum verba νεώτερος ὢν καί, sed etiam congrua τῶν πρεσβυτάτων οὐδὲ a cod. Γ pr. absunt, ubi a correctore 2 e memoria vulgata addita sunt. Polycrates vero post annum 380 Socrati non obtrectavit, quoniam neque Isocratem post

Panegyricum editum cum sophista miserrimo in certamen iocosum descendisse potest credi et Lysiam, cuius nulla superest scriptio genuina post annum 380 composita, Polycratis de Socrate libello scimus adversatum esse Scholiis ad Aristidem testantibus (cf. Sauppe Oratores Att. II p. 204/5). Quae cum ita sint, Isocratem qui se in arte iam provectum dicit (§ 1), nonnullis annis post orationem contra sophistas (circa annum 385?) Busiridem composuisse statuendum est.

Quae vero fuit causa certaminis illius, quo sophista inferior et — si hypothesi fides est (cf. etiam § 2) — foris, in Cypro insula, degens ab Isocrate sub specie quidem comitatis, re vera tamen summa cum superbia tractatus et ludibrio habitus est? Utrum Isocratem, cum argumentum retractandum susciperet minime probum neque verbis magnificis aptum (§ 9), oratoris praestantioris gloriam victoria facili et invidiae exposita confirmare, adversarium aliquem ignobilem sine causa confligere voluisse putabimus? An Socratis vindicandi causa eum verbis insolentibus obtrectatorem persecutum esse censebimus? Quippe qui adversarium de declamatione aliqua inepta, non de Socrate ignominia affecto carpat, quippe qui Socratis praeceptoris memoriam praeter hunc locum solum ex animo prorsus videatur abiecisse. At Polycratem in oratione aliqua Isocratis Helenam corripuisse hypothesis ad Helenam tradidit, quae bonae eruditionis est plena. Cuius facti mentio in argumento illo per comparationem iniecta est (ὥσπερ αὐτὸς ἐκείνου ἐπελάβετο ἐν τῷ Βουσίριδι), ut Polycratem contumeliam ab Isocrate acceptam opprobrio ultum esse minime inde colligatur. Contrarium sine dubio accidit. Causam certaminis promptam esse video Polycratis in Helenam Isocratis impetum imprudenter factum, quo sophista novus rhetorem iam illustrem perstringens famam arripere conatus est. Qua ex re Helenae laudationem Busiride priorem esse pro certo cognoscitur.

In Helena vero auctor sophistam aliquem insignem et a se ipso observantia cultum (§ 14) aemulatus est. Neque dubium mihi est, quin Isocrates hic cum Gorgiae Helena nobis servata concertaverit, cuius fidem defendi in libro: die Anfänge der rhetorischen Kunstprosa, Jahrbücher für class. Philol. Supplem. XXVII 1901 p. 252/53 et 265/67. Etenim id, quod orator de adversario praedicat, eum defensionem potius quam laudationem Helenae conscripsisse, optime quadrat in Helenam Gorgiae, cuius orationem Olympicam paulo post in Panegyrico aemulatione superandam in Helenae verbis ultimis (§ 65) aperte iam significavit. Ne temporum quidem ratio obstat, quia

Gorgiam, Antiphontis fere et Socratis aequalem (cf. Ps.-Plut. vit. X oratt. 832 F, Plat. Gorg. 461 C), quem Isocrates (cf. etiam XIX 155) magistrum coluisse traditur, centesimum annum excessisse audimus, ut eum etiam annum Panegyrici (380) vidisse veri sit simile. Quod vero Anaximenes Lampsacenus Isocrati exemplum ad imitandum dedisse dicitur (in orationis argumento secundum Machaonem quendam: cf. Keil, Anal. Isocr. p. 8 n. 3), eo improbatur, quod aequalis ille Aristotelis, quem circa annum 365 fere floruisse Diodorus XV 76, 4 auctor est, sed nonnullis post 330 annis historiam Philippicam composuisse Wendlandius nuper docuit (Hermae vol. XXXIX 1904 p. 430 = Anaximenes von Lampsakos 1905 p. 12), ante annum 370 cum Isocrate controversiam habuisse nequit. Neque omnino Isocrates iuniorem illum, quem Dionysius Halic. in omnibus orationis generibus multo posthabendum esse iudicavit (de Isaeo c. 19), tanta aestimatione tractavisse putandus est, ut illius causa post Panegyricum editum orationi plane sophisticae operam daret. Immo Helenae exordium, quod cum laudatione omnino non cohaerere Aristoteles iam animadvertit (rhet. III 14), orationis contra sophistas disceptationem cum sophistis adversariis aperte excipit, ut ex eo Helenam cum oratione illa atque Busiride artius coniunctam esse eluceat. Atque haec ita se habere — contra Zycham et Keilium, quos redarguit iam Duemmlerus, Kleine Schriften I 1901 p. 126, cf. etiam Natorpium, Philolog. XLVIII 1889 p. 625 — censeo, ut Isocrates post ludum apertum, ad quem commendandum orationem contra sophistas composuerat, primum quidem cum Gorgia, celeberrimo verborum artifice, contendens oratoris praestantioris laudem sibi paraverit et paulo post Polycratem, qui invidia inflatus huic laudi parum scienter obtrectaverat, omni qua par erat contemptione refutaverit.

Una restat dubitatio a Spengelio iam excogitata (συναγωγὴ τεχνῶν p. 74), quam Muenscherus nuper (1899 p. 271 sq.) ambabus manibus amplexus est. Nam cum Isocrates (§ 2) Gorgiam inter sophistas tunc iam mortuos, qui Protagorae temporibus perabsurda conscripsissent, numeraverit, Helenae vero auctorem etiamtum vivum impugnaverit, aut Helenam sub Gorgiae nomine traditam, siquidem haec Isocrati ante oculos fuit, abiudicandam Gorgiae esse aut Isocratem alterius alicuius auctoris orationem nunc deperditam respexisse statuerunt. Quam sententiam Muenscherus, notionem verborum § 2 συγγράμματα κατέλιπον ἡμῖν = „scripta post obitum nobis reliquerunt" mirum quantum premens, evincere studuit. Verum enimvero Gorgias

„sophista" quidem, quem ut libelli περὶ τοῦ μὴ ὄντος (circa ol. 84 = 444/0 scripti) auctorem Isocrates significat, temporibus iam remotis tribuendus est (cf. Blassium I² p. 47). Qui postea, cum facundiae fama pollens „rhetor" esse voluit (Plat. Gorg. 449 A), „sophistarum" artem dialecticam exuit, ut „sophistam" scriptum illud περὶ τοῦ μὴ ὄντος „reliquisse" iure praedicetur, nisi forte Gorgiae mentionem hic minus accurate iniectam esse statuis. Etenim Gorgiam „sophistam" alio quoque loco (XIX 268/9) cum philosophis vetustioribus, Empedocle, Ione, Alcmeone, Parmenide, Melisso comparatum esse teneas, quod primum quidem in Helenae prooemio factum est ab expositione ad Gorgiam rhetorem pertinente omnino seiungendo. Quod cum reputaveris integro iudicio, Muenscherum eiusque asseclas opinor cavillari concedes (cf. Blassium I² p. 74).

Cf. de Helena maxime Blass II² p. 242/50 — Christian, translat. German. 1835 p. 472/87 et 510/22 — H. Usener, Quaestiones Anaximeneae 1856 p. 11 — E. Maass, zur Geschichte der griechischen Prosa. I Gorgias und Isocrates Helena, Hermes XXII 1887 p. 566 sq. — K. Lüddecke, über Beziehungen zwischen Isokrates Lobrede auf Helena und Platons Symposion, Rhein. Mus. LII 1897 p. 628/32 — K. Münscher, Ἰσοκράτους Ἑλένης ἐγκώμιον, Rhein. Mus. LIV 1899 p. 248/76 (contra Lüddeckium cf. p. 262/63) — G. Thiele, Ionisch-attische Studien. II Isokrates Ἑλένη, Hermes XXXVI 1901 p. 253/71 — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 333 (Busiris post 373, item Gomperz, Wiener Studien XXVII 1905 p. 192/97) — Cf. etiam commentationes Überwegii (1868 p. 178 sq.), Zychae 1880, Bergkii 1883 p. 34, Natorpii 1889 p. 625, Susemihlii 1900 p. 574/87 ad orationem contra sophistas laudatas.

Inter adhortationes, quibuscum Euagorae laudatio arte connexa est, primum locum habet oratio

X. πρὸς Δημόνικον (1),

quam ad Demonicum Hipponici cuiusdam filium nondum adultum, regis alicuius dominationi subditum (§ 36), missam esse ex oratione ipsa liquet. Neque tamen quando Demonicus ille vixerit, aut cuius imperio oboediverit, aut quomodo orationis auctor cum Hipponico patre amicitiam conciliaverit compertum habemus, cum argumenti testimonium, Hipponicum Cyprium fuisse, quod Keilius (Hermae vol. XXIII 1888 p. 374) nummo quodam Salaminio parum cognito frustra conatus est fulcire, omni fundamento careat (cf. Meister, die griechischen Dialekte II 1889 p. 167/68, Head, historia nummorum² 1898 II p. 318, 323/24, Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 200). Neque de orationis scriptore exploratum erat, quem Isocratem oratorem illustrem non fuisse inde ab Harpocrationis auctore aliquo (s. v. ἐπακτὸς ὅρκος, ubi oratio Isocrati Apolloniatae tribuitur), inde

a Mureto (1559) et H. Stephano (1593) viri docti etiam atque etiam contenderunt, probaverunt, evicerunt — orationis admiratores et fidei defensores pariter excitantes. Equidem quid de hac re sentiam discipulo meo Emmingero accuratius declarandum mandavi, qui quaestione tota summa cum diligentia retractata omnia defensionis adminicula funditus evertit (Jahrb. f. class. Philol. Supplem. XXVII 1901 p. 373/442). Nam et verborum delectus minime purus et compositio in tota oratione stricte et immote ex contrario concepta et figurarum quae vocantur Gorgianarum immoderatissimus usus (cf. Norden, Antike Kunstprosa I p. 117) et hiatus in pausa quidem saepius admissus (§ 3, 9, 11, 34, 38 bis) et ordo sententiarum plane inconditus et praeceptorum ratio philosophica ab Isocrate toto caelo differunt.

Pauca verba adicienda sunt de dispositione orationis, quam totam tribus e locis considerate conceptam esse (cf. § 5: a) ὧν χρὴ τοὺς νεωτέρους ὀρέγεσθαι καὶ τίνων ἔργων ἀπέχεσθαι, b) καὶ ποίοις τισὶν ἀνθρώποις ὁμιλεῖν, c) καὶ πῶς τὸν ἑαυτῶν βίον οἰκονομεῖν), unde genuinus aliquis ordo nunc turbatus elici possit, ipse olim docui (Philolog. LV 1896 p. 680/88). At orationem omni modo perfectam non esse, cuius sententias ab auctore extra versiculorum continuationem scriptas (in schedis fortasse vel in margine libelli) recognitor aliquis male composuerit, in promptu est suspicari (cf. Theognidem, Lucretium). Quin etiam consulto sententias ordine carere cum veritatis specie potest statui, quia orator praeceptorum congeriem cum loculis comparavit (§ 44), qui gemmas, margaritas, catenas aureas, ornamenta alia incomposita saepe continent. Praeterea interpolationes minores maioresve (cf. § 25) postea in textum illatas esse opinari licet, quas tamen perdifficile est convincere, quoniam quominus in inquirendo periculum faciamus ordo sententiarum inconstans prohibet. Iahrius saltem, qui ordinem aliquem interpolationibus creberrimis eiectis recuperare periclitatus est, plane erravit (cf. Albrecht, Berliner philol. Wochenschrift 1883 col. 386/89).

Quaestio nunc oritur, quo tempore e a quonam auctore oratio confecta sit, quae cum eruditissimo haud dubie scriptori debeatur, etiamnunc explicatione docta videtur non indigna esse. Atque tempus orationis ex elocutione plane Gorgiana cognoscitur, quam et dialectus consuetudinis vetustioris vestigia servans (cf. § 7 θαρσαλέως, 16 et 44 (συν)ειδήσεις) et delectus verborum poetarum usui insistens et compositio concinne ubivis e contrario formata, denique et figurae abundantissimae et artificiosissimae (sed σχήματα διανοίας praeter inter-

rogationem unam § 49 dubiam omnino desunt) et verborum cognominatorum quaesita distinctio, quam Prodicus sophista docuerat, aperte demonstrant. Scriptorem vero doctissimum, qui orationem calamistris quasi inussit, ipsius etiam Gorgiae aetate floruisse apparet, quoniam post artem oratoriam ab Isocrate excultam orationis affectatio ista toleranda vix fuisset. Quem auctorem sophistam haud ignobilem fuisse, Theodorum Byzantium dico, qui circa annum 400 Athenis vigebat, equidem ex Athenaei loco III 122b comprobare ausus sum (Jahrb. f. class. Philol. Supplem. XXVII 1901 p. 342/43). Ibi Cephisodorus, Isocratis discipulus (ἐν τῷ τρίτῳ τῶν πρὸς Ἀριστοτέλην) testis est, ὅτι εὕροι τις ἂν ὑπὸ τῶν ἄλλων ποιητῶν ἢ καὶ σοφιστῶν ἓν ἢ δύο γοῦν πονηρῶς εἰρημένα, οἷα παρὰ μὲν Ἀρχιλόχῳ . . ., Θεοδώρῳ δὲ τὸ κελεύειν μὲν πλέον ἔχειν, ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον, Εὐριπίδῃ τε . . . καὶ Σοφοκλεῖ . . . Ὁμήρῳ τε . . ., cuius Theodori dictum cum orationis ad Demonicum loco § 38 παρασκεύαζε σεαυτὸν πλεονεκτεῖν μὲν δύνασθαι, ἀνέχου δὲ τὸ ἴσον ἔχων, ἵνα δοκῇς ὀρέγεσθαι τῆς δικαιοσύνης μὴ δι' ἀσθένειαν ἀλλὰ δι' ἐπιείκειαν plane convenire iam Keilius animadvertit (Anal. Isocr. p. 99). Sed cum Keilius Theodorum illum statuerit fuisse poetam aliquem ignotum, Cephisodorus re vera ad sophistam aliquem dilucide provocat, quia praeter Theodorum poetas tantum celeberrimos Archilochum, Euripidem, Sophoclem, Homerum laudat (cf. ὑπὸ τῶν ἄλλων ποιητῶν ἢ καὶ σοφιστῶν). Theodorum sophistam autem Cephisodoro superiorem neminem invenio memoratu dignum nisi Byzantium, artis rhetoricae magistrum Lysia validiorem (cf. Plat. Phaedr. 261 C, 266 E, Cicer. Brut. 12, 48), cuius oratio etiam facile subdi potuit Isocrati: nam is, qui patrem habuit eodem Theodori cognonime appellatum, ipse ὁ Θεοδώρου appellatus est.

Verumtamen sententias illas, Theodori scilicet et orationis Demoniceae, prorsus easdem esse infitias ivit Blassius (Att. Bereds. II[2] p. 281 n. 2), qui in libri mei censura (Literarisches Zentralblatt 1904 col. 271) rem diligentius tractavit locum orationis Demoniceae in hunc modum interpretatus: „Iustum esse oportet; opinionem vero apud alios excites, te posse iniustum esse, siquidem volueris; itaque iniustitiae facultatem tibi para." („Der Sinn ist doch ganz entgegengesetzt: man soll gerecht sein, und der Schein, oder besser die Meinung, die man erweckt, ist nur die, dass man auch ungerecht sein könnte, wenn man nämlich wollte, indem die äussere Fähigkeit und die Machtmittel vorhanden sind"). Theodori vero sententiam a Cephisodoro allatam hanc fuisse affirmavit: „suo commodo consulendum

esse, simulandam vero laudem aequitatis et iustitiae" („man solle auf seinen Vorteil bedacht sein, äusserlich aber die Gleichheit und Gerechtigkeit loben"). Quae sane inter se pugnant. At Blassius cum Cephisodori tum Demoniceae verba praepostere intellexit. Nam Theodori illud oblique dictum τὸ κελεύειν μὲν πλέον ἔχειν, ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον Blassii interpretatione ad directum τὸ κελεύειν πλέον μὲν ἔχε, ἐπαίνει δὲ τὸ ἴσον relatum est, quod tamen in orationem obliquam redactum re vera sonaret τὸ κελεύειν πλέον μὲν ἔχειν, ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον. Contraria autem sunt Athenaei verba κελεύειν μὲν . . . ἐπαινεῖν δέ, quae ad eundem, ad ipsum nempe Theodorum, referenda esse dilucidum est. Theodorus igitur — haec mea est huius loci explanatio — Cephisodoro teste (ὅτι εὕροι τις ἂν . . παρὰ Θεοδώρῳ τὸ κελεύειν μὲν . . ἐπαινεῖν δὲ . .) utilitatem ex aliis capessendam esse iusserat tum, cum ipse aequitatem laudavit.

Pariter Demoniceae sententiam Blassius non est assecutus, qui iustitiam illic certe vitae normam et principium praedicari statuit. Verumenimvero non iustitia, sed fama scriptori ante omnia curae est, qui τὸ δοκεῖν omnibus in rebus et publicis et privatis omni modo servandum esse declarat: cf. imprimis § 37 sq.: . . . ἀλλ' ἐνδοξότερος· πολλῶν γὰρ χρημάτων κρείττων ὁ παρὰ τοῦ πλήθους ἔπαινος . . . δόξεις γὰρ καὶ αὐτὸς τοιαῦτα πράττειν , . . ἵνα δοκῇς ὀρέγεσθαι τῆς δικαιοσύνης . . . ἡ δὲ καὶ τελευτήσασι δόξαν παρασκευάζει. Ac summam praeceptorum omnium, quae ad vitam publicam pertinent, in hunc modum complectitur: § 17 οἱ γὰρ πολλοὶ . . . πρὸς τὴν δόξαν ἀποβλέπουσιν. ἅπαντα δόκει ποιεῖν ὡς μηδένα λήσων . . . μάλιστα δ' ἂν εὐδοκιμοίης, εἰ φαίνοιο ταῦτα μὴ πράττων κτέ (cf. § 2 τοὺς δόξης ὀρεγομένους et ea quae exposui Philolog. LV 1896 p. 684/85, Emminger p. 432). Quare paragraphi 37 hanc veram esse sententiam elucet: „Potestatem tibi parato plus habendi quam alii; sed ne mediocritatem excedas, ut — ipse haud invalidus quidem — iustitiam sectari videaris non propter infirmitatem, sed propter aequitatem" i. e. Iustitiae famam tibi asciscas, quae tibi comparanda non est nisi sub specie validae mediocritatis. Quin etiam — orator inquit — iustam paupertatem divitiis iniustis potiorem habeas propter gloriam, quam iustitia ipsis defunctis parit: quae aperte significatur verbis ἐλπίσιν γε σπουδαίαις ὑπερέχουσιν. Quid vero? Demoniceae auctor mediocritatem (τὸ ἴσον) laudat non propter semet ipsam, sed quoniam iustitiae speciem affert. Neque coactam laudat mediocritatem, sed opibus pollentem i. e. potestatem

in modum aliquem medium ultro coercitam, quae possidentibus auctoritatem conciliat et honorem. Iustitia igitur non vitae fundamentum per semet ipsum summi aestimandum, id quod Blassius statuit, ponitur, sed famae tantum instrumentum declaratur in tota vita etiam per incommoda propter famam appetendum. Nonne Theodorum audis, qui κελεύει μὲν πλέον ἔχειν, ἐπαινεῖ δὲ τὸ ἴσον? Profecto Theodori verbis a Cephisodoro circumscriptis Demoniceae sententia haud vulgaris, quae cum orationis summa omnino convenit, aptissime adumbratur, quare, ut Theodorum Byzantium orationis ad Demonicum auctorem habeamus, ratio postulat, praesertim cum omnia, quae de Theodoro rhetore aliunde sciamus, ad Demoniceae scriptorem egregie quadrent (cf. Anfänge der rhetor. Kunstprosa p. 343/46).

Atque haec satis contra Blassium, quem adversarium colo honestum, quamquam mente praeoccupata iudicium de libro meo tulit minus benevolum. Alter mihi exstitit incusator potius quam iudex aequus Eduardus Schwartz, quem paucis hic reverberare cogor, quod ob certam causam non in re positam omni cum ludibrio meam de Demonicea quoque thesim repudiavit in censura mei libri: Berliner philol. Wochenschrift 1903 col. 97/104, 129/135 his usus verbis (col. 99): „In der Demonicea findet sich die Sentenz [38], sich mit der Gleichheit zu begnügen und nur darum sich Macht zu schaffen, damit es nicht so aussähe, als sei man gerecht aus Schwäche. Das ist deutlich die durch die Socratische und Platonische (sic) Ethik veranlasste moralisierende Umkehrung alter macchiavellistischer Maximen, die nach Macht zu streben rieten und das Prinzip der Gleichheit priesen, also den faktischen Besitz der Macht als das eigentliche Ziel hinstellten [quod tamen longe aliter se habere supra docui]. Nach Kephisodor fand sich ein derartiger anstössiger Ausdruck bei einem Sophisten oder Dichter Theodoros [Athen. III 122 b: quem Schwartzius minus attente videtur legisse]: zugegeben, was möglich ist, dass Theodor von Byzanz gemeint ist, selbst zugegeben, was ich für unmöglich halte, dass die beiden Sprüche dasselbe bedeuten [sed in pectus demittat ea, quae contra Blassium disputavi], so würde höchstens geschlossen werden dürfen, dass der Verfasser der Paränese in seine Sammlung von Sprüchen einen des Theodoros aufgenommen hat. Wer eine solche Koinzidenz für einen zureichenden Beweis hält, um die ganze Paränese Theodoros zuzuweisen, der kann es freilich im Entdecken noch weit bringen“ et p. 102 „Wer verfechten wollte, dass ein Dictum wie 39 über die verurteilten Gerechten und

ihre edlen Hoffnungen formuliert werden konnte, ehe die Sokratische und Platonische (sic) Ethik gewirkt hatte, auf den würde das Wort des Aristoteles über die Atheisten passen.“ O sagacem opinatorem, qui philosophorum Socratis fere aequalium — qui cogitatis Socraticis imbuti iam erant — cognitionem habet certissimam! O prudentem criticum, qui sententiae ex temporum ratione vel notabilissimae omnem ad orationis auctorem eliciendum vim denegavit! O felicissimum inventorem, qui sententiam ex orationis contextu toto apertissime natam ab auctore aliunde petitam esse sensit. Quod vero iudex ille sententiam § 39 de iustorum spe bona ut sui dogmatis exemplum venditavit, parum scite fecit. Quippe quaenam sunt iustorum ἐλπίδες σπουδαῖαι? Orator ipse declarat paulo ante § 38: quia δικαιοσύνη .. καὶ τελευτήσασι δόξαν παρασκευάζει, cf. etiam § 8 τηλικοῦτον εὐδοξίας χαρακτῆρα . . . ὥστε μηδὲ τὸν ἅπαντα χρόνον δύνασθαι λήθην ἐμποιῆσαι τῶν ἐκείνοις πεπραγμένων et § 43 τὸ δὲ καλῶς ἀποθανεῖν ἴδιον τοῖς σπουδαίοις ἀπένειμεν. Quam sententiam de fama post mortem futura, quae in orationis summam optime cadit, proprie Socraticam et Platonicam esse ne Schwartzius quidem opinor efficiet.

Nihilominus Wendlandius nuperrime (Anaximenes von Lampsakos 1905 p. 81/101) Schwartzii opinionem amplexus — ne inspecto quidem libro meo — orationem Demoniceam sub Aristotelis temporibus compositam esse ex Isocratis admonitionibus et Aristotelis protreptico imitatione expressis evincere studuit. Atque optime de oratione meruit vir ille doctus sententiis similibus, quibus auctor videtur usus esse, ex scriptoribus antiquissimis allatis. E quibus cum graviores iam ante Wendlandii librum editum testimoniis inseruerim, quas praetermisi paucas nunc colligam hic ex *septem sapientium praeceptis:* § 17 εἰ φαίνοιο ταῦτα κτέ = Pittaci dictum apud Stobaeum 1, 172 H (Aristot. rhet. II 6), § 22 περὶ τῶν ἀπορρήτων κτέ = Periandri ibidem (et 41, 7 H et Diog. Laert. I 98), § 27 ἀλλὰ μὴ καλλωπιστής = Thaletis ibidem, § 29 τὸ μέλλον ἀόρατον = Pittaci ibidem, § 42 γίγνου δὲ τοῖς ἄλλοις κτέ = Thaletis ibidem (Theogn. v. 359), § 46 ἐν μὲν γὰρ τῷ ῥᾳθυμεῖν κτέ = Solonis ibidem (et 6, 25 H); § 29 κοινὴ γὰρ ἡ τύχη = Chilonis apud Stob. 112, 11 M, § 47 ἐν πᾶσι δὲ τοῖς ἔργοις κτέ = Solonis apud Herodotum I 32; ex *Theognide:* § 34 βουλεύου μὲν βραδέως = v. 329; ex *Democrito:* § 6 ῥώμη δὲ μετὰ κτέ = fgm. 187 (128 Mull., 18 Nat.), § 29 στέργε μὲν τὰ παρόντα = fgm. 191 (20 Mull., 53 Nat., cf. Herodot. IX 117); ex

comoedia: § 27 καταφρόνει τῶν κτέ = Menand. fgm. 624 K. (600 Mein.), § 35 ὁ γὰρ κακῶς διανοηθεὶς κτέ = Euphron. fgm. 4 K. (4 Mein.), § 46 ἐν μὲν γὰρ τῷ ῥᾳθυμεῖν κτέ = Alexis fgm. 295 K. (299 Mein., cf. Sext. Empir. Hypotyp. III 195); § 29 μηδενὶ συμφορὰν ad ἡ τύχη = Menand. monostich. 356, καλὸς γὰρ θησαυρὸς κτέ = ibidem 295. His de meis alias nonnullas etiam addam: § 14 ἄσκει τῶν περὶ τὸ σῶμα . . . πρὸς τὴν ὑγίειαν = Apologie der Heilkunst ed. Gomperz, Sitzungsberichte der Wiener Akademie 1890 vol. 120 (IX) c. 7 cf. p. 131, § 15 ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν κτέ = fragmentum rhetoricum Oxyrhynch. (Pap. Oxyrh. III p. 27/30 v. 70 sq.), § 34 ἡγοῦ κράτιστον εἶναι κτέ = Demosth. XXIII 113 (περὶ ὕψους c. 2, 3), § 48 τοῖς δὲ σπουδαίοις κτέ = [Demosth.] LXI 35. Quod vero Wendlandius cum Albrechtio (Philolog. XLIII 1884 p. 244/48) Demoniceam ex Isocratis adhortationibus pendere statuit, pondus non habet, cum Isocratem ipsum — id quod Albrechtio in mentem non venit — imitatorem possimus ponere (cf. XI 40/41, Emminger p. 435). Aristotelis autem protrepticus, quocum paucissimas sententias convenire concedendum est — cf. § 6 ῥώμη δὲ μετὰ κτέ = fgm. 57 (p. 67, 21 R.) = Democriti fgm. 187 (18 Nat.), fortasse etiam § 19 αἰσχρὸν γὰρ τοὺς μὲν ἐμπόρους κτέ = p. 62, 9 Rose (Iamblich.): ceterae perquam dubiae sunt —, de Demonicea quaerentibus nobis in censum omnino non venit, cum orationis huius auctor protrepticos impugnaverit ad artem oratoriam solam excitantes, cf. § 4 ὅσοι δὲ τοῖς νεωτέροις εἰσηγοῦνται, μὴ δι' ὧν τὴν δεινότητα τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀσκήσουσιν . . . ὅσον οἱ μὲν ἐπὶ λόγον παρακαλοῦσιν. Quod ad Gorgiae disciplinam quadrat eiusque asseclas, minime ad logicorum magistrum Aristotelem eiusque tempora. Videsne quam arta necessitudine oratio nostra cum doctrina sententiosa, quae sophistarum aetate floruit, coniuncta sit, quam laxe cohaereat cum saeculi quarti exeuntis scriptoribus? Immo neque in verbis neque in sententiis quicquam inesse, quod ultra saeculum quartum ad Alexandrinorum tempora nos deducat, Wendlandius ipse firmissime asseverat. Qui etiam omni cogitatione et cura nullam ex Demonicea sententiam eruere potuit, quae circa Socratis mortem vel paulo post concepta esse nequeat (cf. Gomperzium permultos huius orationes locos ad Cynicos referentem, Wiener Studien XXVII 1905 p. 188/92). Quam ob rem Wendlandium, cuius de Anaximene orationis huius auctore commentum in transitu memoro, in orationis aetate definienda vehementer erravisse in aprico est: quod accuratius mox docebit discipulus meus Christianus Lehmann.

Cf. (asterisco notati sunt orationis genuinae defensores) Blass II² p. 278/84 — Jac. Facciolati, Monita Isocratea, Patavii 1737 (iterum 1741, 1747, 1764) — *René Vatry (Abbé), Mémoire à prouver „que l'ancien Isocrate est auteur du discours à Demonicus". Mémoires de l' Academie royale des Inscriptions et Belles lettres XII 1740 p. 183/92 — J. B. Gail, Notes sur Isocrate à Demonique, Paris 1813 — *Frommel, Isokrates Rat an Demonikus, Progr. Pforzheim 1820 — *Aug. Pauly, Aliquot quaestiones Isocrateae, Progr. Heilbronn 1828 — Henr. Beyer, de orationis ad Demonicum quae vulgo Isocratis esse dicitur indole et auctore comment. I Lipsiae 1831 — *J. G. Strange, Isocratis oratio ad Demonicum, Coloniae Agripp. 1831, cf. Archiv für Philolog. IV 1836 p. 344/45 — A. H. Christian, translat. German. 1832 p. 19/26 — G. E. Benseler, de hiatu 1841 p. 35/40; idem, Jahrb. für class. Philolog. LXXXII 1860 p. 121 sq. — *Otto Schneider, Isokrates' Ausgewählte Reden 1859 p. 1 sq. (ed. II. 1873) — *J. Edwin Sandys, Isokrates. Ad Demonicum et Panegyricus. London 1868 — *J. Wrobel, ein neues Zeugnis für die Echtheit der Isokratischen Rede an Demonicus, Zeitschr. für die österreich. Gymnas. XXVI 1875 p. 743/44 — *Th. Henkel (Θεοδώρου Ἀγκυλίωνος). τῶν περὶ Ἰσοκράτη ζητήσεων βιβλίον α'. Progr. Rudolstadt 1877 — G. A. Lehmann de Lehnsfeld, de oratione ad Demonicum Isocrati abiudicanda, Lugduni-Batav. 1879 — Guil. Jahr, Quaestiones Isocrateae, Dissert. Hal. 1881 — E. Albrecht, zu Pseud-Isokrates πρὸς Δημόνικον, Philolog. XLIII 1884 p. 244/48 — Br. Keil, de Isocratis papyro Massiliensi, Hermes XIX 1884 p. 596; idem, Analecta Isocratea 1885 p. 99/101; idem, Epikritische Isokratesstudien, Hermes XXIII 1888 p. 374 sq. — *P. Hartlich, Exhortationum (προτρεπτικῶν) a Graecis Romanisque scriptarum historia et indoles, Leipziger Studien XI 1889 p. 210 sq. — *R. Br. Ponickau, de Isocratis Demonicea, Dissert. Lips. (Stendal) 1889 — E. Drerup, zur Textgeschichte des Isokrates, Philolog. LV 1896 p. 680/88; idem, die Anfänge der rhetorischen Kunstprosa, Jahrb. für class. Philolog. Supplem. XXVII 1901 p. 340/46 — Ad. Dyroff, zur Ethik der Stoa, Archiv für Gesch. der Philos. XII 1898 p. 55 sq. — Kurt Emminger, Ps.-Isokrates πρὸς Δημόνικον, Jahrb. für class. Philol. Supplem. XXVII 1901 p. 373/442, ubi omnium fere, qui de Demoniceae fide iudicium tulerunt proprium, recensionem videas p. 376/94 — Paul Wendland, Anaximenes von Lampsakos, Berlin 1905 (Die Rede an Demonikos p. 81—101).

Orationem ad Demonicum circa annum 400 fere scriptam, quam consentaneum est ab orationibus Nicocleis vel Cypriis separari non posse, quamquam orationes Isocrateas omnes praecedit, excipiunt orationes Nicocleae

XI. πρὸς Νικοκλέα (2)
XII. Νικοκλῆς ἢ Κύπριοι (3)
XIII. Εὐαγόρας (9),

de quibus coniuncte nunc agendum est, cum de tempore uniuscuiusque parum constet. Ac Nicoclem Euagorae regis Cyprii filium, qui tres illas orationes accepit, intra annos 374/65 fere Sala-

mine regnavisse inde colligitur, quod Euagoram ol. 101.[3] = 374/3 interfectum esse Diodorus auctor est (XV 74, cf. Theopomp. ap. Phot. biblioth. c. 176). Nicoclem vero multo ante orationem de permutatione (anno 353) editam diem iam supremum obiise ex ipsa hac oratione § 67 apparet. Blassius quidem historicum illum de errore admisso accusavit, quoniam Nicoclem dominatione potitum esse paulo postquam Euagoras anno 380 a Persarum rege sub ditionem redactus esset, propter pecunias illo tempore exhaustas et commercium cum Graecis turbatum (cf. XII 31, 33) statuit. Quam opinionem incertissimo fundamento innixam ea ipsa de causa facile neglegemus, quod Isocratem aliquamdiu post annum 380 demum oratione adiisse Nicoclem aliunde probatur. Oratorem enim Timothei comitem, cum ille cum classe profectus imperium Athenarum maritimum restitueret, litteras ad populum Atheniensium datas conscripsisse Ps.-Plutarchus auctor est (vit. X oratt. p. 837 C), unde Isocratem tunc temporis adhortationibus componendis non vacasse iure coniciemus.

Iam orationum illarum ordinem spectantibus admonitionem πρὸς Νικοκλέα brevi postquam princeps iuvenis regnum susceperat i. e. paulo post annum 374 conceptam esse ex oratione tota apparet (cf. etiam XII 45). Atque adhortationis conscribendae causam cum Blassio inde petas, quod Nicocles adolescens Athenis aliquando versatus Isocratem magistrum audiverit (cf. XIX 40, 30; XIII 78 sq. de Nicocle philosopho, Isocratis nempe doctrina imbuto; cf. etiam Hermippum in hypothesi ad orat. XI): qui cum discipulus ad luxuriam proclivis principatum obtinuisset, de regis officiis eum edocuerit. — Proximam esse orationem quae inscribitur Νικοκλῆς ἢ Κύπριοι orator ipse testatur (§ 11), cum de iis, quae Nicocli in imperio prospere cesserunt, magna verba faciens (§ 31 sq.) regem aetate iam provectum esse demonstret. Nicoclem autem hanc ad populum admonitionem ab Isocrate petivisse, ut celeberrimi oratoris auxilio regnum aliquo modo concussum stabiliret et civium animos adversus principem frementium sedaret, haud improbabiliter suspicatus est Keilius (Anal. Isocr. p. 8). Quippe certi quicquam hisce de rebus scire nobis non datur. — Nihil certius de Euagorae tempore compertum habemus, praeterquam quod Euagoram compluribus iam annis ante e vita decessisse (cf. imprimis § 78) et oratorem summae iam vitae terminos egressum esse (§ 73) audimus. Sed Euagoram orationum Cypriarum ultimam esse liquet, quia Isocrates, qui laude patris filium ad virtutem sectandam instituere voluit (cf. § 76),

se identidem (πολλάκις) eum hortatum iam esse affirmavit (§ 78). Atque argumenti auctor, qui orationem a veteribus epitaphium habitam esse narrat, eam laudationem potius appellandam esse exponit, quoniam multo post Euagorae mortem videatur composita esse. Quod vero Isocrates se primum — Pindarum sane aemulatum, ut voluit Conrotte — aequalis alicuius virtutes oratione pedestri laudavisse gloriatus est (§ 8), Wilamowitzius (Hermae vol. XXXV 1900 p. 533/34) oblocutum esse dixit Aristotelem rhet. I 9 p. 1368 a 17, qui Isocratem perstringens, cuius Euagoram (§ 45) paucis versibus ante respexerat, encomium primum scriptum esse in Hippolochum quendam memoriae tradiderit. Neque tamen Wilamowitzium recte interpretatum esse censeo Aristotelis verba, quae sunt καὶ εἰς ὃν (vel ὃ) πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη, οἷον εἰς Ἱππόλοχον καὶ Ἁρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι. Quibus ab Aristotele significatum esse existimo, oratori in laudationibus utendum esse etiam honoribus ab aliis iam in laudatum collatis, quales sunt gloriae monumenta Athenis olim parcissime (tyrannicidis), Aristotelis demum temporibus effuse exacta (an etiam Hippolocho cuidam ignoto?). Certe quid apud illum sibi velit sententia qua ait „in Hippolochum primam laudationem conscriptam esse,“ omnino non intellego. Fortasse legendum est: καὶ εἰ (ἕτερ)ον πρῶτον ἐγκώμιον ἐποιήθη, οἷον εἰς . . . τὸ ἐν ἀγορᾷ σταθῆναι. Atque Euagorae quidem exemplum innumerae fere aequalium laudationes imitatae sunt, quas subinde ortas esse orator ipse testis est in epistola III 1 (cf. Leo, die griechisch-römische Biographie nach ihrer litterarischen Form 1901 p. 91/95).

Pauca adicienda sunt de orationis inscriptae Νικοκλῆς ἢ Κύπριοι fide, de qua dubitaverunt primus H. Stephanus comparata § 24 cum Areopag. § 61 (ed. 1593 in diatriba II p. 7), tum Augerus propter stilum et modum ab Isocrate aliquatenus diversum (ed. 1782 praef. p. IV, cf. praef. ad translationem Isocratis Gallicam 1781), deinde Havetius varias ob offensiones (ed. Antidos. 1862 p. 234/36, quem exscripserunt Sittl, Histor. litter. Graec. II p. 117 sq. et Versmeeten p. 9), ad extremum Versmeetenius (1890) Theopompi et Anaximenis (apud Athen. XII p. 531 A sq.) testimoniis allatis de Nicoclis luxuria et mollitie, qua Cyprius ille cum Strattonis Sidoniorum regis prodigentia et libidinum intemperantia concertavisset: quae cum Isocratis verbis (§ 36/42) de Nicoclis continentia aperte sane pugnant. Atque omnia haec refellere in animo mihi non est, cum orationis consilio considerato admodum videantur futtilia esse. Etenim oratio, quae

praeter admonitionem ad cives amplissimam regis laudationem vel potius adhortationem sub specie laudis complectitur, ex Isocratis de laudationibus sententia iudicanda est in Busiride § 4 elata: ὅτι δεῖ τοὺς μὲν εὐλογεῖν τινας βουλομένους πλείω τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν αὐτοῖς προσόντ' ἀποφαίνειν. Isocratem vero eum discipulum, quem in periculo versari delabendi in vitia vidisset, ad virtutem laudibus revocare voluisse statuas, nisi forte Theopompum ad vituperanda omnia pronum (Polyb. VIII 11/13, Lucian. de conscrib. hist. 59, Nep. Alcib. 11) etiam de Nicoclis infamia sine iusta causa rettulisse sive Isocratem de discipuli moribus rumores auribus non admisisse suspicaberis. Quin etiam in Euagora § 78 sq. Nicocles plane eadem ratione praedicatur, ut hanc quoque orationem falsam esse oporteret. Neque mirum quod Nicoclis praecepta Isocratis iudicio vero hic illic videntur contraria esse: etenim in Nicocle regem, cuius rebus orator verba accommodaverit (cf. v. Arnim, Dio von Prusa 1898 p. 13), ad subditos loqui teneas, atque etiam Isocratis sententiam non omni tempore sibi constitisse recorderis. Firmissima denique de Isocrate testimonia exhibent et oratoris nomen in § 11 laudatum et verba § 5/9 in Antidosi § 253/57 exscripta et orationis compositio, quoniam latissimum de dicendi facultate prooemium, quod cum sequentibus parum cohaeret, regi apud cives contionanti minime convenit, usui tamen respondet prorsus Isocrateo, quem in Helenae laudatione iam agnovimus.

Restat quaestio perdifficilis a Benselero mota, quae est de orationis ad Nicoclem interpolatione. Nam in Antidosi § 73, cum orator praeceptorum Nicocli datorum partem maximam § 14/39 iudicibus — immo lectoribus — proponit, ut quo pacto ipse et cum privatis et cum principibus agere soleat optime possint cognoscere, oratio mirum quantum in brevius contracta cernitur omissis sententiis plenis et sententiarum partibus his: § 19 οἴκει τὴν πόλιν ad finem, § 20 τίμα ταῖς μὲν ad § 21 finem, § 22 ἅπασι μὲν τοῖς ad § 23 finem, § 24 οὕτως ὁμίλει ad § 25 finem, § 26 καὶ νόμιζε ad finem, § 27 ἀκριβεῖς ποιοῦ ad finem, § 28 ἄκουε τοὺς λόγους ad finem, § 29 μηδεμίαν συνουσίαν εἰκῇ προσδέχου μηδ' ἀλογίστως ἀλλ', § 30 νόμιζε τῶν ad finem, § 32 τρύφα μὲν ad § 35 finem, § 39 μηδὲ τοὺς τοῖς μὲν ἄλλοις ad finem, ubi verba χρῶ τοῖς εἰρημένοις ἢ ζήτει βελτίω τούτων in fine praeceptorum post εὖ περὶ τῶν μεγίστων λέγοντας posita sunt (cf. p. XCV sq.).

Quaeritur utrum orationis Nicocleae forma longior genuina sit, quam Isocrates ipse in Antidosi in angustum redegerit, an orationis

partes in Antidosi deficientes ab interpolatore aliquo additae sint. Atque Benselero de oratione ad Nicoclem interpolata cogitanti adversati sunt Brueckner us, Blassius, Muenscherus, cum alii multi vehementer illi adstipulati sint: nominabo Havetium (p. 207 sq.), Hugium (Jenaer Literaturzeitung 1878 p. 617), Lehmannum de Lehnsfeld (de oratione ad Demonicum p. 16 et 61), Jahrium, Keilium, Albrechtium (cf. etiam Jahresberichte XI 1885 p. 80, XVI 1890 p. 22), Versmeetenium. Cum quibus et ipse facio, quoniam primum quidem sententiarum nexus praeceptis interpositis foedissime plerumque turbatus est. Quod apertissimum est in additamento § 29 ab aliis utique non separando, quod Muenscherus ipse collatis his verbis ἔθιζε σαυτὸν ἐπ' ἐκείναις ταῖς διατριβαῖς χαίρειν interpolationem habuit: nam „διατριβή in oratione ad Nicoclem *(interpolata)* commercium cum aliis significat (*cf. μηδεμίαν συνουσίαν*), quam vim hoc verbum in nullo alio Isocratis loco tenet, in Antidosi contra significat studia, quod imprimis usui Isocratis convenit“ (Benseler de hiatu p. 39, cf. praef. p. XXXVI 5). Apertissimum est etiam in §§ 32/36, quoniam oratoris de gloria explicatio sententiarum diversissimarum ac paene ridicularum congerie plane dirumpitur. Atque admonitionum initio (§ 15) civium cura rei publicae bene constitutae fundamentum praedicatur, quem ad finem spectant omnia quae sequuntur de legibus (17), de civium negotiis et litibus et de iudiciis (18), de deorum cultu et iustitia (20), de veritate et fide (22), de imperio (24): ordinem tamen dirimunt sententiae interpositae de apparatu regali et magnificentia (19), de corporis custodia et de rebus privatis augendis (21), de urbe hospitibus amplificanda, de civium metu et regiminis severitate, quae omnes fere tyrannidem aliquo modo redolent ab Isocratis mente plane alienam. Quae ab Isocratis placitis abhorrere ex iis quoque apparet, quae Gomperzius, Wiener Studien XXVII 1905 p. 180/88 exposuit. Denique comparandi sunt loci ad Nicoclem (XI) § 38 et Nicoclis (XII) § 61/2, qui admonitionem continuam utroque loco sententiis nonnullis constrictis et quodammodo diversis comprehendunt et absolvunt (id quod contra Blassium p. 274 n. 2 dico): qua re periodus longior in oratione ad Nicoclem § 39 praeceptorum finem faciens damnatur. — Ac ne cum Blassio (p. 274) ad Nicoclis (XII) partem paraeneticam (§ 48 sq.) provoces bene quidem dispositam, cuius tamen sententiae singulae paulo neglegentius inter se copulatae sunt (id quod in orationis contextu capitibus seiunctis patefacere volui). Id enim orationis admonitoriae proprium esse ipse Isocrates in Antidosi § 68 proclamavit:

οὗτοι μὲν γὰρ (scil. οἱ λόγοι ἀνεγνωσμένοι: Panegyricus et de pace) τὸ λεγόμενον ὁμολογούμενον ἀεὶ τῷ προειρημένῳ καὶ συγκεκλειμένον ἔχουσιν, ἐν δὲ τούτῳ τοὐναντίον· ἀπολύσας γὰρ ἀπὸ τοῦ προτέρου καὶ χωρὶς ὥσπερ τὰ καλούμενα κεφάλαια ποιήσας πειρῶμαι διὰ βραχέων ἕκαστον ὧν συμβουλεύω φράζειν. Blassius autem vehementer erravit, quod Isocratis haec non solum ad sententiarum nexum, sed etiam ad rerum dispositionem referens praeceptorum seriem incompositam ab oratore ipso excusari opinatus est.

Praeter ordinem dissolutum id potissimum videtur inculcandum esse, quod sententiae haud paucae ab Isocrate prolatae additamentis molestissime iterantur atque etiam refutantur. Quod ut perspicias conferas quaeso: § 20 [τίμα ταῖς μὲν κτέ] cum 16 ἀλλὰ σκοπῇς ὅπως κτέ (cf. etiam § 27), § 21 [φυλακὴν ἀσφαλεστάτην κτέ] cum 36 μάλιστα μὲν πειρῶ κτέ et 27 φίλους κτῶ κτέ, § 21 [κήδου τῶν οἴκων κτέ] cum 18 τὰς μὲν ἐργασίας καθίστη κτέ, § 22 [μὴ τοὺς σοὶ δωρεὰς ἄγοντας] cum 1 et 54. § 23 [τοὺς πολλοὺς φόβους κτέ] cum 16 καλῶς δὲ δημαγωγήσεις κτέ, § 27 [τοιούτους ἐφίστη κτέ] cum 16 ἀλλὰ σκοπῇς ὅπως κτέ, § 33 [ἐπισκόπει τοὺς λόγους κτέ] cum 38 ἅττ' ἂν σοι λογιζομένῳ κτέ. Atque ab Isocratis ratione civili duae praecipue sententiae prorsus abhorrent, quae cum temperantiam et gravitatem simulandas esse praecipiant, Demoniceae potius auctori videntur convenire: § 23 ποίει μὲν μηδὲν μετ' ὀργῆς, δόκει δὲ τοῖς ἄλλοις, ὅταν σοι καιρὸς ᾖ et § 30 λάνθανε μέν, ἤν ἐπί τῳ σοι συμβῇ τῶν φαύλων χαίρειν, ἐνδείκνυσο δὲ περὶ τὰ μέγιστα σπουδάζων.

Ad extremum gravi offensioni est discrimen haud exiguum, quod inter additamentorum dictionem et Isocratis usum intercedit, cf. § 19 ταῖς δὲ πράξεσιν = „vectigalium exactione" (Isocrateum est εἴσπραξις XXI 63, 66, cf. XX 146: Muenscherus locum hunc pessime interpretatus est „negotiis accurate gestis," quae tamen ταῖς κατασκευαῖς = „apparatui regali" hic opponi non possunt, cf. διαρκῆς): 19 διαρκῆς absolute dictum; 19 τῶν δεδαπανημένων passive usurpatum; 21 τῶν οἴκων τῶν πολιτικῶν (ἰδιωτικῶν Π, ἰδίων Λ Pap.); 21 ἀπὸ τῶν σῶν ἀναλίσκειν (ἐκ τῶν σῶν Pap., praepos. del. Blass); 22 πόλιν . . πρὸς τὰ συμβόλαια νόμιμον; 23 τοὺς πολλοὺς φόβους (πολλοὺς om. ΛΠ Pap.); 30 ἐνδείκνυσο cum partic. σπουδάζων; 32 τρύφα μὲν ἐν ταῖς ἐσθῆσι (ἐν om. Π); 33 ἐλλείπειν αἱροῦ; 34 τὴν συμφορὰν τὴν ἑκατέρᾳ προσοῦσαν; 35 ἐμπειρίᾳ μέτιθι (ΛΠ Stob.: μετατίθει Γ); 35 ἐπ' αὐτῶν τῶν ἔργων γυμνάζεσθαι; 39 ὁμιλεῖν . . τοῖς πράγμασι. Neque periodi omnes apte conformatae sunt, quae neglegentia Isocratem

quidem dedecet, cf. § 19 τὰ γὰρ τοιαῦτα (subiectum) . . παραμενεῖ καὶ τοῖς ἐπιγιγνομένοις πλείονος ἄξια (scil. τὰ τοιαῦτα: nunc obiectum) . . καταλείψεις; § 30 νόμιζε τῶν τιμῶν ἀληθεστάτας εἶναι μὴ τὰς . . γιγνομένας, ἀλλ' ὅταν . . θαυμάζωσιν.

Quae cum ita se habeant, orationis ad Nicoclem sententias, quae in Antidosi desunt, subditicias esse persuasum habeo, sive interpolator eas composuit ipse sive ex admonitione aliqua sophistica desumpsit. Keilium autem, qui eas ex Aristotelis politicorum libro VIII p. 1313/15 haustas esse ratus est, bene iam refutavit Muenscherus.

Cf. de orationibus ad Nicoclem et Nicocle: Blass II² p. 269/78 — Christian, translat. German. 1832 p. 45/49, 69/76 — Benseler, de hiatu 1841 p. 37/39, cf. ed. 1851 p. XXXVI n. 2 ad 7 — C. A. F. Brückner, de locis in Isocratis ad Nicoclem oratione propter ea, quae in oratione de Antidosi ex illa referuntur, falso suspectis, Progr. Suidnicii 1852 — Havet, ed. Antidosis 1862 p. 207 sq., 235 — Guil. Jahr, Quaestiones Isocrateae, Dissert. Hal. 1881 p. 25/27, 41/55 — Br. Keil, Hermes XIX 1884 p. 638 sq.; idem, Epikritische Isokratesstudien, ibidem XXIII 1888 p. 352 sq. — E. Albrecht, Philolog. XLIII 1884 p. 244/48, cf. ad or. X — S. Sudhaus, zur Zeitbestimmung Platonischer Schriften, Rhein.Mus. XLIV 1889 p. 59 sq., contra quem disputaverunt P. Natorp, Philolog. XLVIII 1889 p. 622/23, F. Duemmler, Kleine Schriften I 1901 p. 79 sq. — P. Versmeeten, Isocratis admonitio ad Nicoclem, Dissert. Groningen 1890 — Car. Muenscher, Quaestiones Isocrateae, Dissert. Gotting. 1895 p. 54/76.

Cf. de Euagora: Blass II² p. 284/88 — P. J. Leloup, Isocratis Euagoras edidit, prooemio et annotatione instruxit, Moguntiae 1828 — Christian, translat. German. 1832 p. 97/108 — G. E. Benseler, Isocratis Euagoras, in usum scholarum edidit et commentariis illustravit, Lipsiae 1834 — C. H. B. Hazelhoff Roelfzema, Annotationes nonnullae in Isocratis Euagoram, Dissert. Groningen 1837 — Otto Scheider, Isokrates ausgewählte Reden I 1859 (ed. tertia 1888 p. 33 sq.) — Emil Erich, de Euagora Cyprio, Rostock 1872 — W. Judeich, Kleinasiatische Studien, Marburg 1892 p. 113/36 — Ivo Bruns, das literarische Porträt der Griechen, Berlin 1896 p. 115/26 — E. J. Sterpin et E. J. Conrotte, S. Grégoire de Nazianze, Éloge funèbre de S. Basile, Isocrate, Panégyrique d' Euagoras, à l'usage de la rhétorique, Desclée de Brouwer et Cie. 1897 — E. Conrotte, Pindare et Isocrate. Le lyrisme et l' éloge funèbre. Le Musée Belge II 1898 p. 168/97 — A. Solari, Appunti sull' Euagora d' Isocrate, Rivista di filologia classica XXXIII 1905 p. 105/12.

Tertia classis eas complectitur orationes, quibus auctor rebus „Graecis et publicis" tractandis se dedit (cf. Oncken, Isokrates und Athen 1862). Atque in universum hic praefari liceat, oratorem minime — quod nonnullis visum est — de rebus in Utopia quadam perficiendis agere neglectis omnibus, quae in Graecia erant et re vera fieri poterant. Nimirum oratorem summo ardore patriae

amantem, aliter atque Gorgiam patria carentem, ubique audimus, qui aut ipse aut ex alterius alicuius persona (Plataeensis cuiusdam, Archidami Lacedaemonii) facunde suadet, quid sibi in praesens tempus faciendum esse videatur. Ac ne rhetorem accusemus, qui artem suam nonnunquam apertius quam e re necessarium erat ostentat: id enim orationum indole excusatur, quae non sunt contiones verae, sed declamationes lectoribus propositae; quibus alium atque contionibus habitum aptum esse concedemus. Quod vero ad res publicas pertinet, proprium oratoris consilium leviter quidem inspicienti haud facile cognoscetur, quoniam quid efficiendum sibi sumpserit, in verbis grandibus haud raro subaudiendum est. Atque exemplo utar oratione celeberrima, Panegyricum dico, in quo orator bellum regi Persarum inferendum gloriose proclamat, maxime tamen civitatibus Graecis maritimis de foedere cum Atheniensibus iterum ineundo auctor est. Quod accuratius exposui in Philologi vol. LIV 1895 p. 636 sq., postquam L. Kayserus (Münchener Gelehrte Anzeigen 1851 no. 23/24 p. 185/92, 195/200) de oratore rerum civilium perito ac praesertim de oratione panegyrica recte iam iudicavit. Atque R. de Scala (Verhandl. d. Philologenvers. in München 1891 p. 102/21), Iulium Beloch (Griechische Geschichte II 1897 p. 528), Eduardum Meyer (Geschichte des Altertums V 1902 p. 369 sq., 494 sq.) laudo, qui rerum gestarum memoriam tenentes absonum illud Koeppii (Isokrates als Politiker, Preussische Jahrbücher LXX 1892 p. 472/87) et aliorum de Isocrate iudicium respuentes seriam ei prudentiae laudem non denegaverunt. Sane orationes suasoriae priores a posterioribus quodam modo videntur differre, quandoquidem Panegyricus, Plataicus, Archidamus, de pace, Areopagiticus, qui vigentem oratorem etiam dictione ostendunt, e certis quibusdam rebus natae cogitata belli pacisque consilia dant. Contra oratorem in postremis, Philippo et Panathenaico, quos annos plus quam nonaginta natus viribus iam imminutis conscripsit, a civitatis Atheniensium vita ac ratione remotiorem iam esse apparet, qui tamen in Philippo regem ad bellum contra Persas suscipiendum hortatus Graecorum concordiam Philippo duce stabiliendam praesensisse et praeparasse videtur. Nec mirum quod orator tamquam ex nubibus tunc res Graecas inspiciens ea quae futura erant prospexit, quippe cuius eloquentia, quae Eubuli consilia universa adiuverat, Eubuli factione ad pacem proclivi a rebus publicis gubernandis repulsa, provincia civili fere privata esset (cf. argumentum Philippi et hoc Lenschaui iudicium apud W. Kroll, die Altertumswissenschaft

im letzten Vierteljahrhundert, Leipzig 1905 p. 167: „Während ein Mann wie Isokrates mit seinen entschieden makedonischen Tendenzen der älteren Geschichtschreibung als der Typus des saft- und kraftlosen Schönredners galt, erkennt die heutige Forschung in ihm den ersten hellenischen Publizisten, der allein im Gegensatz zu den praktischen Politikern seiner Zeit das richtige Verständnis für die damalige Lage zeigte, und mit »dessen Schriften daher jeder beginnen muss, der die griechische Geschichte im 4. Jahrhundert verstehen will«" secundum Ed. Meyer V 1902 p. 290). Quibus cum libellis artius coniungendam esse orationem de permutatione, quae sub orationis iudicialis specie vitae et artis summam adumbrans consilia et studia oratoris defendit, supra (p. CXVI) iam edocui, tres illas aetatis extremae deflorescentis et loquacis orationes uno quasi volumine complexus.

Atque orationum omnium principalem locum habet (cf. ὁ πρῶτος λόγος XIX § 78) oratio celeberrima quae inscribitur

XIV. Πανηγυρικός (4),

quae ad Gorgiae et Lysiae orationes Olympicas superandas diligenti et diutino labore (§ 14) composita anno 380 publici iuris facta (non habita) est, cum Graeci Olympiae ad certamina celebranda convenirent. Atque tempus orationis ex § 126 cognoscitur, ubi Mantineam devastatam, Thebas captas, Olynthios et Phliasios obsessos esse declaratur. Quae Diodoro XV 19/23 et Xenophonte Hellen. V 3 testibus in annum 381/0 incidunt, cum Phlius oppidum per viginti menses oppugnatum anno demum 379 captum sit. Aliud temporis indicium e bello Persarum cum Euagora gesto (§ 141) elicitur, quia orator septimum iam belli annum agi indicat (ἓξ ἔτη διατέτριφεν). Ea res tamen scrupulum nonnullis iniecit, quoniam Diodorus XV 9, 2 bellum Cyprium decem annos gestum (cf. Isocratis Euagor. § 64) anno 385 compositum esse tradidit. Contra Diodorus ipse (XIV 98) bellum illud iam anno 391/0 exarsisse auctor est, id quod Xenophon (Hellen. IV 8, 24 V 1, 10), cum annis 390 et 388 ab Atheniensibus naves Euagorae auxilio missas esse testetur, confirmat. Qua de causa Panegyrici partem, quae Euagorae mentionem inicit, anno 385 vel 384 conscriptam esse, orationem vero tunc primum publici iuris factam postea retractatam et in publicum iterum emissam esse Engelius, Rauchensteinius (olim), Friedrichius, Blassius censuerunt, e quibus Blassius quidem de oratione bis edita ambiguis verbis utitur. Quae sententia cum Panegyrici consilio et arte aperte pugnans falsa innititur verborum § 141 interpretatione. Nam Euagoram, qui ad regnum de-

fendendum tribus tantum milibus peltastarum uti dicitur, classem haud exiguam anno 386 a Persis devictam iam pridem perdidisse manifestum est, quod regem Persarum copias adeo tenues sex annos frustra oppugnavisse narratur (ὑπὲρ δὲ τῆς χώρας τρισχιλίους ἔχει μόνον πελταστάς, ἀλλ' ὅμως οὕτω ταπεινῆς δυνάμεως οὐ δύναται περιγενέσθαι βασιλεὺς πολεμῶν, ἀλλ' ἤδη μὲν ἓξ ἔτη διατέτριφεν). Quapropter cum sex irriti belli annos inde ab anno 386 numerare par sit, Isocratis de Euagora locum ad annum 380 referendum esse elucet. Diodorus autem in enarrando belli exitu peccavit, id quod accuratius de Panegyrici tempore ac ratione disserens abhinc decem annis explanavi. — De antisophista, quem ab Isocrate impugnatum esse Duemmlerus (Critiam dicit) et Wilamowitzius (hic nullius nomen profert) opinati sunt, nihil scimus (cf. etiam Ed. Meyer V 1902 p. 372). Quod vero Epitaphium sub Lysiae nomine falso traditum cum Panegyrico similitudine coniunctum esse animadverterunt, auctorem epitaphii imitatione ex Panegyrico sua expressisse ex Wolffii et Nitzschei studiis — Gomperzio nondum cognitis — nunc constat.

Cf. Blass II² p. 250/65, III 2² p. 379 — Guil. Henr. Engel, de tempore quo divulgatus sit Isocratis Panegyricus, Progr. Stargard (Berolini) 1861 — W. Oncken, Isokrates und Athen, 1862 p. 37/62 — F. Dümmler, die Ἀθηναίων πολιτεία des Kritias, Hermes XXVII 1892 p. 269 sq. — W. Judeich, Kleinasiatische Studien 1892 p. 137/43, cf. Fabricius, Götting. gel. Anz. 1893 no. 23 p. 928/29 — U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Aristoteles und Athen 1893 II p. 380/90 (Isokrates Panegyrikos 100—114) — G. Friedrich, zum Panegyricus des Isokrates, Jahrb. f. class. Philol. CXXXXVII 1893 p. 1/24; idem, Isokrates Panegyricus und der kyprische Krieg, ibidem CIL 1894 p. 454/56 — Fr. Reuss, Isokrates Panegyricus und der kyprische Krieg, Progr. Trarbach 1894; idem, Isokrates Panegyricus und der kyprische Krieg, Jahrbücher f. class. Philol. CIL 1894 p. 843/44 — E. Drerup, Epikritisches zum Panegyrikus des Isokrates, Philologus LIV 1896 p. 636/53 — Eug. Wolff, quae ratio intercedat inter Lysiae epitaphium et Isocratis panegyricum, Dissert. Berol. 1896 — R. Nitzsche, über die griechischen Grabreden der klassischen Zeit I. Progr. Altenburg 1901 p. 14/20 — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 46, 312, 369/72 — Cf. etiam praefationes Mori et Spohnii (apud Dindorfium 1826 et Baiterum 1832, cf. Dobson 1828 p. 154 sq.), Christiani 1833 p. 141/64, Rauchensteinii 1849 (ed. V. 1882), Benseleri 1854 (vol. I p. 19/35), Schneideri 1860 (ed. III. 1886), Mehleri 1861, Sandysii 1868, Keilii 1890.

Secuta est nonnullis annis post oratio

XV. Πλαταϊκός (14),

de cuius tempore dubitatio esse nequit, quia Plataeenses post urbem a Thebanis denuo captam et dirutam statim Athenas se contulisse atque Atheniensium patrocinium expetivisse in promptu est suspicari.

Plataeas vero aut anno 374/3 (Diodor. XV 46) aut anno 373/2 (Astio Athenis regnante: Pausan. IX 1, 8) expugnatas esse traditur, ut de Plataico composito inter annos 374, 373, 372 optio data sit (annum 371 iam Bréquigny sumpsit). Discrimen facit pax brevis cum Lacedaemoniis (anni 374) identidem commemorata (§ 5, 10, 14, 17), quae iam initio anni 373 mense Munychione (cf. Demosth. IL 6) Timothei expeditione turbata est, ut oratio Plataica anno 374 exeunti aut 373 ineunti — id quod videtur verius esse — attribuenda sit. Consilium orationis idem est atque Archidami, quandoquidem Isocrates, qui Thebanis omni in vita infensus erat, adversariis eorum libello festinanter neque tamen sine arte conscripto suffragatus est. Orationem autem, id quod nuper Grotium secuti statuerunt Sandysius (ad Paneg. § 109) et Sittelius (Histor. litter. Graec. II p. 110), ad populum habitam esse nego, quoniam Isocrates iudicialis quidem logographus fuit multo ante, nunquam vero contionalis. Ceterum Plataeenses civitatem quidem Atticam, neque tamen restitutionem in patriam, quam Isocrates commendaverat, ab Atheniensibus impetraverunt.

Cf. Blass II² p. 265/68 — Christian, translat. German. 1835 p. 663/73 — Benseler, ed. 1854 vol. II praefat. p. 7/13 — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 398/401.

Dissensio inter viros doctos est de sequenti oratione, quae inscripta est

XVI. Ἀρχίδαμος (6),

quae aut anno 366/5 (370 statuit Bréquigny) aut decem fere annis post intra annos 356/51 composita esse dicitur. Atque ex temporum ratione, quae quidem ex oratione ipsa cognoscitur, annus 366/5 pro certo colligitur, quoniam Lacedaemoniis pugna Leuctrica devictis (371: § 10), Dionysio tyranno mortuo (367: § 45) Archidamus personatus de pace cum Thebanis respuenda verba facit, quam Lacedaemoniorum socii, Epidaurii, Corinthii, Phliasii (§ 91), se solos ituros esse minitati erant (§ 13). Quod anno 366/5 accidit teste Xenophonte (Hellen. VII 4, 6/11), quocum Diodorus XV 76, 3 facit. Inde orationem Isocrateam iam anno 366 divulgatam esse necessario cogitur, praesertim cum orator unam solam in Lacedaemonem incursionem a Thebanis factam commemoret (§ 56: Epaminondas iterum exercitum in Peloponnesum et in urbem ipsam induxit anno 362). Sunt vero — Augerum nominabo, Spengelium (συναγωγὴ τεχνῶν p. XXIV, 174), Christianum p. 316, Weissenbornium (Encyclop. p. 41), Blassium imprimis — qui Archidamum exercitationem oratoriam vel exemplum discipulis propositum („eine Stubendeklamation“ et

„albern“ illudens ait Niebuhr, Vorträge über alte Gesch. II 1848 p. 300) habeant, de cuius tempore ex tempore ficto minime constet: quam post pugnam apud Mantineam commissam, immo intra annos 356 et 351 compositam esse Blassius efficiendum sibi sumpsit. Sed ut Archidamum stili exercendi vel discipulis demonstrandi causa conscriptum esse statuamus, cur quaeso rhetor id temporis modo praeteriti spatium in oratione respexit, quod rerum cursu tunc quam maxime properato aequalium memoria plane iam exciderat et historicorum diligentia redintegrandum erat? Immo rhetor, qui civitatum conditionem iam anno 357 prorsus immutatam neglexisset, nugari visus esset omnibus. Immo consilium urbis relinquendae Lacedaemoniis datum (§ 73) risum movisset omnibus tum, cum bellum sociale animos afflixerat et novum iam e regione septentrionali periculum a Macedonum rege strenuo et callido imminebat. An Isocratem in animo habuisse dices Lacedaemoniorum regem adulari fortem atque pertinacem? Cur, quaeso?

At Blassius ad epistolam (III.) anno 356, cum orator annum octogesimum complevisset (§ 16), Archidamo missam provocavit. Nam Archidami personati orationem neque in epistola commemorari neque tunc temporis omnino compositam iam esse veri simile videri, quod orator in epistola Lacedaemoniorum fortitudinis et continentiae et rerum civilium laudes conscribere recusaverit (cf. § 1—4, imprimis § 4 init.), quas Panathenaico teste (§ 239) in Archidamo (§ 48, 59, alibi) satis superque celebravit. Ac tamen ratiocinationem, quae Archidamum posteriorem esse inde colligit, nihili esse facile cernitur propterea quod oratio, quae ab Archidamo ad Lacedaemoniorum populum habitam se fert, cum epistola ab Isocrate ad Archidamum data re vera comparari nequit. Laudes enim populi sui ab Archidamo pronuntiatae — strictim tantum et argumentandi causa tactae — vix aliter iudicandae sunt atque potestas regia a Nicocle, auctore quidem Isocrate, laudibus exornata. Contra epistolae prorsus aliena est ratio, quoniam Isocratem, qui Archidami et Lacedaemoniorum laudationem se praestiturum non esse declaravit, ad praeconium Euagorae simile intendisse et aliis et ipsi quidem Blassio (alio loco: II² p. 284) consentaneum videtur. Quare Archidamum, quem Blassius sterilis declamationis vice aestimatum loco suo movere frustra conatus est, non ad blandiendum scriptum et tamquam epistolam regi missum, sed Athenis ad permovendos Athenienses evulgatum esse mihi constat, praesertim cum Isocratem in orationibus suasoriis omnibus primum Athenis, tum in reliqua Graecia aliquid ad rem publicam efficere voluisse

(cf. Paneg. § 17 τὸν διαπράξασθαί τι βουλόμενον) persuasumha beam. Quod in Archidamo ad Atheniensium opinionem publicam a Thebanorum in Lacedaemoniorum favorem vertendam spectavisse facile intellegitur. Quae vero ratio intercedat inter Isocratis Archidamum et Alcidamantis Messeniacum (cf. Aristot. rhet. I 13, II 23, Blass II² p. 350, Vahlen, Sitzungsber. d. Berliner Akad. d. Wiss. 1902 p. 182/83) ignoramus neque divinare licet, uter alteri orationis componendae causam dederit, nisi Tzetzae illud (Chil. XI 670), quo ait Isocratem ab Alcidamante saepius perstrictum esse, ad illas quoque orationes pertinere censebimus.

Cf. Blass II² p. 288/93 — Christian, translat. German. 1834 p. 309/26 — Benseler, ed. 1854 vol. II praefat. p. 67/75 — R. Volkmann, die Rhetorik der Griechen und Römer, 2. Aufl. 1885 p. 307/12 — Fr. Blass, ‚Unechte Briefe', Rhein. Mus. LIV 1899 p. 33/34, contra quem disputavit Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 450/51.

Facilius opinor de duabus orationibus proximis arte inter se coniunctis, de pace et Areopagitico, conveniet, quoniam oratio

XVII. περὶ εἰρήνης (8)

procul dubio belli socialis (357/55) temporibus ascribenda est. Ambigitur vero, utrum primis belli temporibus (sic Oncken, Schillbach; immo ante hostilia coepta secundum Christianum p. 413/17) an bello medio (sic Auger, Weissenborn, Pfund, Blass) an exeunte aut post pacem paratam (sic Benseler, Euler, Schäfer Demosthenes I² p. 190, Judeich, Ed. Meyer) composita sit. Atque equidem Blassio adstipulor, qui bellum longum fuisse ex § 19 sq. (cf. § 6) elicuit, ubi de detrimentis bello contractis acerba mentio inicitur; neque tamen orationem ad belli finem referri posse vir ille doctus comprobavit, quandoquidem regis Persarum intercessio, quae Atheniensibus pacem imposuit, nusquam commemoratur. Nimirum ex § 15 (τῶν νῦν περὶ τῆς εἰρήνης γνωσθέντων) pacem compositam iam esse minime efficitur, quoniam quaenam decretis illis plane dubiis de pacis conditionibus aut de pace praeparanda constituta fuerint, quinam fuerint πρέσβεις illi in § 25 nominati compertum non habemus (cf. Schäfer l. l.). Neque Meyeri sententia in mera opinione posita, qua orationem, quae formam principatus futuri describat, non nisi post pacem conciliatam posse conscriptam esse censet, ullo pacto confirmatur. E contrario verba § 134, quae ex temporum ratione mutata in oratione de permutatione § 66 aliter rescripta sunt (cf. p. LXXXV), belli iam finiti temporibus non conveniunt. Sumas igitur post pugnam navalem anni 356 incertam, quae sociis seditiosis potestatem Atheniensium nondum fractam esse ostenderat, de pace facienda Athenis per legatos actum esse; tunc vero Isocratem oratione

de pace emissa, qua Eubuli partes paci utcunque faventes amplexus est (cf. Schol. Demosth. III 28 p. 133 D), de pace aequis conditionibus cum sociis ineunda cives adhortatum esse.

De orationis consilio recte iudicantes etiam Benselerum, Blassium, Eulerum confutabimus, qui orationis habitae tempus fictum ab editae distinguendum esse statuerunt. Omnes enim Isocratis orationes ad res publicas spectantes — libellos dico vere politicos, minime declamationes tantum sophisticas — non eo pertinent, ut belli pacisque consilia definita proponant, quod contionum est certam aliquam rogationem commendantium, sed ut animos popularium percutientes commutationem rerum in universum praeparent, id quod vernacula lingua dicimus „Stimmung machen". Qua ex ratione etiam consilium de maris imperio abiciendo ponderandum est, quod nonnullis stultissimum et oratore Atheniensi indignissimum visum est. Nimirum oratorem pervideas, cum dominationem (ἀρχήν) maris condemnet, ubivis urbem imperii summam (ἡγεμονίαν) a sociis ultro recuperaturam esse promittere. Hoc pacto foederis maritimi anno 378 iterum coacti tempora prima in memoriam revocantur et ipsius foederis haec verba: ἐάν τις βούληται τῶν Ἑλλήνων ἢ . . . Ἀθηναίων σύμμαχος εἶναι καὶ τῶν συμμάχων, ἐξεῖναι αὐτῷ ἐλευθέρῳ ὄντι καὶ αὐτονόμῳ, πολιτευομένῳ πολιτείαν ἣν ἂν βούληται, μήτε φρουρὰν εἰσδεχομένῳ μήτε ἄρχοντα ὑποδεχομένῳ μήτε φόρον φέροντι (Corp. Inscript. Attic. II no. 17), quibuscum conferas quaeso orationis locos § 16/17 et 134. Oratorem igitur decrevisse existimo, ut pristinam cum civitatibus maritimis societatem omnibus aequam restituendam commendaret, cuius minister Panegyrico edito semel iam fuerat. Nescimus tamen, quomodo de pace actiones, quas oratio testatur, incepto faverint, cum accuratiora de belli rebus gestis tradita non sint.

Cf. Blass II² p. 299/304 — Christian, translat. German. 1835 p. 409/26 — Benseler, ed. 1854 vol. II praefat. p. 195/207 — W. Oncken, Isokrates und Athen 1862 p. 78/96, 109/51 — Schillbach, de Isocratis oratione, quae inscribitur περὶ εἰρήνης, Progr. Potsdam 1868 — Euler, über die Abfassungszeit der Isokratischen Friedensrede, Progr. Corbach 1883 — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 493/96 — Arth. Motzki, Eubulos von Probalinthos und seine Finanzpolitik, Dissert. Königsberg 1903 p. 12 sq.

Subsequitur

XVIII. Ἀρεοπαγιτικός (7),

quae oratio, cum pax parta initio aperte declaretur (§ 1 εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης), aut post pacem cum sociis anno 355 factam aut post Philocrateam quae vocatur pacem anni 346

apud populum enuntiatam se fert. Sed argumentum de orationis tempore, quod Clintonius, Bergmannus (p. 38 sq.), Benselerus (p. 47/48) ex orationis de permutatione (anni 353) silentio elicuerunt, momentum non facit, quoniam Antidosis aliarum quoque orationum suasoriarum (ut Plataici, Archidami) mentionem non habet: ne orationum quidem arte cohaerentium de pace et Areopagitici altera alteram respicit. Quod vero Hier. Wolfius (1570 II p. 477, 479), quem praeter alios secutus est Bergmannus (apud Benselerum 1832 p. 32/41), urbes Thraciae a Philippo anno 348 cum Olyntho captas ab oratore § 9 significari statuit, errore factum esse Benselerus et post eum Pfundius, Rauchensteinius, Blassius, alii e temporum ratione docuerunt, quia ultimis iam belli socialis temporibus florentissimas Atheniensium in Thracia colonias et urbes socias (Amphipolim, Potidaeam, Pydnam; Olynthum) a Philippo aut expugnatas aut foedere icto ab Atheniensium fide alienatas esse narratur (Diodor. XVI 8). Cave premas, quod orator omnes Thraciae urbes amissas esse asserit, cum Methone oppidum a Philippo anno 353 demum in potestatem redactum sit. Orator enim, qui res gestas omni cum diligentia enumerare saepius supersedit, unam hanc urbem nondum expugnatam neglegere potuit, quoniam Atheniensium auctoritas in Thracia iam antea sublata prope et exstincta erat. Discrepantia autem, quae inter orationis initium rei publicae conditionem aliquatenus felicem praedicans (§ 1/2) et asperam in iis quae sequuntur de rebus calamitosis querimoniam videtur intercedere, promptam explicationem habet ex eo, quod vulgi opinioni temerariae, quae orationis exordio describitur, oratoris ipsius sententia contraria subinde opponitur. Quo perpenso minime opus est excusatione mira illa a Sittelio prolata (Histor. litter. Graec. II 1886 p. 113), cui Blassius assentitur, prooemium illud iam ante bellum sociale excitatum ab oratore conceptum fuisse. Etenim ad belli socialis tempora quadrant etiam inimicitiae et cum Graecis et cum rege Persarum susceptae (§ 8, 10, 81), mercennariorum greges a Charete magna pecunia coacti (§ 9), Thebanorum amici, Messenii videlicet, ab infensis olim Thebanorum adversariis adiuti (§ 10, cf. Schäfer Demosthenes I² p. 511 n. 1, Rauchenstein ed. V. p. 122). Inde orationem Areopagiticam sub anni 355 pacem conditam esse iure colligitur, praesertim cum Graecorum regisque invidia (τῆς ἔχθρας . . . πάλιν ἀνακεκαινισμένης § 8, cf. § 81) et oratoris de rebus adversis dolor recentes esse videantur. Atque valde miror Eduardum Meyer, qui sine causa orationem post victoriam a Charete reportatam et regis epistolam allatam

(§ 81), sed ante pacem compositam conscriptam esse affirmavit. Temporum ratio denique orationis universae ipso consilio comprobatur, quod nonnullis ita fuit obscurum, ut Niebuhrius (Vorträge über alte Geschichte II 1848 p. 300) Areopagiticum totum perabsurdum vocaverit. Quod equidem positum esse censeo in Eubuli studiis adiuvandis, quae rem publicam placandam et civium concordiam augendam sectabantur. Areopagus autem, sub cuius post Graeciam a Persis liberatam dominatione civitatis et foederis maritimi formam perfectissimam fuisse cum aliis (ut Aristotele πολιτ. Ἀθην. c. 23, 2) Isocrates praedicavit, laudatur temporum renovandorum illorum, quibus omnes et cives et socii aequo iure usi sint, firmissimum praesidium et ultima rei publicae restituendae salus.

Cf. Blass II² p. 305/8 — Benseler, ed. 1832 praef. — Christian, translat. German. 1834 p. 364/78 — Rauchenstein, ed. (I. 1849) V. 1882 p. 119/32 — Ed. Meyer, Geschichte des Altertums V 1902 p. 493/6.

Orationem proximam, quae in codicibus inscripta est

XIX. περὶ ἀντιδόσεως (15),

opera quam Mustoxydis anno 1812 in ea collocavit redintegratam paucis absolvere licet. Hanc enim orationem anno 353 consutam esse facile perspicitur, quia orator se annum octogesimum secundum complevisse declarat (§ 9) atque Timotheus mortuus iam esse dicitur (§ 101), quem anno 354/3 (teste Dionysio Halic. de Dinarcho c. 13 p. 667 R., cf. Schäfer Demosthenes I² p. 174 sq.) aut 355 (id quod Belochius, Attische Politik p. 363 evincere studuit assentiente Meyero V p. 492) publico iudicio damnatum et patria expulsum statim Chalcide diem supremum obiisse scimus. Atque Isocrates a Megaclide quodam (Ps.-Plutarch. vit. X oratt. p. 839 C) de permutatione in iudicium vocatus et superatus erat circa annum 356/5 teste Dionysio (de Dinarcho l. l.). Ea causa tamen (cf. § 8) ad orationem hanc non pertinet, quoniam orator accusationem de iuvenibus corruptis simulavit a Lysimacho quodam intentam (γραφὴν ἀσεβείας videlicet: cf. § 29, 89, 321/22 ὥσπερ προσήκει τοὺς εὐσεβεῖς καὶ θεοφιλεῖς τῶν ἀνθρώπων): quam ad imaginem causae Socratis mente formatam esse apologia Platonis in Antidosi nonnunquam imitatione expressa declaratur. Quapropter titulum ineptum, quem iam Aristoteles (rhet. III 17 p. 1418 b 27 (ἐν τῇ ἀντιδόσει) orationi indidit, commenticium et ex Megaclidis causa (aut ex Apharei defensione) confictum esse patet (cf. § 8 εἰ δ' ὑποθείμην, ... κἀκεῖνον μὲν ταῖς διαβολαῖς χρώμενον ταῖς ἐπὶ τῆς ἀντιδόσεως ῥηθείσαις). Schlueteri vero scrupuli, quos de fide partis

a Mustoxyde e codicibus Ε(Γ)Θ additae movit, futtiles sunt apte iam antea refutati ab editoribus Mustoxyde (1812 p. VI sq.) et anonymo interprete (1813 p. IX) et Orellio (1814 p. XI sq.).

Cf. Blass II² p. 73/74, 308/14 — Christian, translat. German. 1836 p. 699/720 — G. Schlüter, Argumentum et structuram Isocrateae de permutatione bonorum orationis explanavit, Progr. Hildesheim 1869 — Wilh. Vitz, des Isokrates Rede über den Vermögenstausch, zur Einführung in die Lektüre des Isokrates bearbeitet, Progr. Pyritz 1871 — Ivo Bruns, das literarische Porträt der Griechen, Berlin 1896 p. 526/30 — W. Vollnhals, über das Verhältnis der Rede des Isokrates περὶ ἀντιδόσεως zu Platos Apologie des Sokrates, Progr. Bamberg 1897 — J. Vasold, über das Verhältnis der isokratischen Rede περὶ ἀντιδόσεως zu Platons Apologia Socratis, Dissert. Erlangen 1898.

Restant ultimae orationes iam seniles, Philippus et Panathenaicus, quibus orator Panegyrici propositum repetens cum Philippum de Graecorum civitatibus inter se reconciliandis et de bello Persis inferendo adhortatus est, tum patriae laudes Lacedaemoniis simul obtrectans verbosissime celebravit. Atque

XX. Φίλιππος (5)

sermone facili neque tamen indiligenti perscriptus est exiguo temporis spatio, quod inter pacem quae vocatur Philocrateam (mense Aprili 346, cf. § 7) et Phocenses a Philippo devictos et exstinctos (mense Iulio eiusdem anni, cf. § 53/54 et 74) intercessit. Quae vero Isocrates de oratione aliqua περὶ Ἀμφιπόλεως scribi coepta neque tamen absoluta et edita narrat (§ 2 sq.), ea oratorem etiam extrema senectute διαπράξασθαί τι βουλόμενον (Paneg. § 17) libellos suos rebus gestis accommodavisse aperte demonstrant. Quae res sententiae plane adversatur eorum, qui oratorem a rebus publicis remotum usque quaque ineptiis studuisse existimant. Auctorem vero orationis Philippicae id maxime agitavisse invenies, ut regem pace Philocratea placatum a rebus Graecis revocaret et Graecos miseria calamitatibusque oppressos et aequatos ad pacis utilitates tuendas impelleret Philippo concordiae patrono, quem Graecos semper discordes in unius gentis et civitatis corpus consociaturum esse haud frustra speravit.

Cf. Blass II² p. 314/19 — P. J. Leloup, Prolegomena in Isocratis Philippicam sive commentatio Isocratea secunda, Moguntii 1823 — Laur. Lasonder, Adnotationes in orationem Isocratis ad Philippum, Groningen 1829 — Christian, translat. German. 1833 p. 234/51 — Benseler, ed. 1854 vol. I p. 271 sq. — O. Schneider, ed. vol. II (ed. I. 1860, ed. III. 1886 p. 105 sq.) — A. Solari, di una probabile glorificazione di Isocrate (Phil. 63), Bollettino di filologia classica XI 1904 p. 184/87.

Agmen claudit

XXI. Παναθηναϊκός (12),

cuius inscriptio ex aperta contentione cum Panegyrico Olympiis destinato videtur nata esse. Saltem ea, quae orator § 17 de disceptatione cum sophistis quibusdam μικρὸν πρὸ τῶν Παναθηναίων orta commemorat, ad orationis titulum formandum omnino non valuisse in propatulo est. Orationis autem componendae se nonaginta quattuor annos natum (i. e. anno 342) initium sumpsisse (§ 3) atque tribus fere annis interiectis, cum orationem semiperfectam intercipere morbo gravi coactus esset, tandem absolvisse et publici iuris fecisse (§ 267) orator ipse testatur: quo oratio confecta ad annum 339 deducitur, cum auctor nonagesimum septimum iam annum complevisset (§ 270). Certe omnem admirationem habet orator summa etiam senectute vigens, qui aetate aliis ita molesta, ut ne ab alio quidem elaboratam orationem audire velint (§ 270), tantum opus ad finem perduxit, cuius loquacitatem et inconditam quodammodo compositionem vitio non vertemus seni venerando.

Cf. Blass II² p. 319/26 — Christian, translat. German. 1835 p. 559/77 — P. J. A. Schmitz, Animadversionum in Isocratis Panathenaicum specimen I, Marburg 1835 — R. Lehmann, die unter Xenophons Namen überlieferte Schrift vom Staate der Lacedämonier und die Panathenaische Rede des Isokrates in ihrem gegenseitigen Verhältnisse, Greifswald 1853 — G. Teichmüller, Literarische Fehden im 4. Jahrhundert vor Chr., Breslau 1881 — H. Brand, de Isocratis Panathenaico, Dissert. Monaster. 1888 — J. Mesk, der Panathenaikos des Isokrates, Progr. Brünn 1902.

Ad extremum epistolas quae dicuntur in examen vocabimus, inter quas ex temporum ratione ceteris antecedunt prooemia tria oratoria, quae inscripta sunt

I. Διονυσίῳ (1)

II. τοῖς Ἰάσονος παισίν (6)

III. Ἀρχιδάμῳ (9).

E quibus epistola — ut nunc hoc nomine utar — ad Dionysium maiorem paulo ante mortem tyranni (367) composita est, quia Isocrates aetate iam affectus (§ 1) Lacedaemoniorum imperium dilapsum (§ 8), Atheniensium cum Dionysio familiaritatem ineunte anno 367 foedere confirmatam commemoravit (§ 8, cf. CIA II 52, Ed. Meyer V 1902 p. 442/43). — Decem fere annis post ab oratore aetate iam longius provecto (§ 2, 4) scripta est epistola ad Iasonis filios (immo

privignos) Tisiphonum, Lycophronem, Pitholaum, quorum pater anno 370 occisus cum Isocrate amicitiam iunxerat (§ 1). Atque filii illius cum anno 359 (vel 358, cf. Schäfer Demosthenes I² p. 151 n. 2 Beloch II p. 299) Alexandrum Pherarum tyrannum interfecissent, mox regno potiti sunt ipsi (Diodor. XVI 14): quos imperio etiamtum abstinentes epistola praedicat (§ 12). Inde eam statim ab Alexandri morte conceptam esse elucet (cf. Ed. Meyer V 1902 p. 480), quo facto mira quoque epistolae inscriptio explicatur, quoniam „Iasonis filii" nondum tyranni gaudebant patris celeberrimi nomine. Aliam rationem secuti sunt Corais et Hauptius (p. 20 sq.), quorum alter anno 369 (sub Iasonis mortem), alter anno 373, cum Iaso et Polyalco viderentur etiam superstites esse, epistolam conditam esse censuerunt. Quae sententiae corruunt, quoniam Atheniensium legati ex Isocratis verbis ad Iasonis filios auctoritate pollentes missi sunt (τῶν πρεσβευσάντων ὡς ὑμᾶς § 1), quibuscum pactionem iam factam esse veri est simillimum (cf. § 1 et 3). — Porro epistola, quae ad Archidamum missam se fert bello sociali flagrante, cuius manifesta in § 8 sq. mentio habetur, attribuenda est anno 356, cum auctor octoginta iam annos natus esset (§ 16, cf. etiam Ed. Meyer V 1902 p. 451, 495).

Dubium est utrum tres epistolae illae, quarum prooemia tantum manibus tenemus, ab Isocrate perfectae atque dimissae sint, ut auctorem prooemia sola in publicum postea edidisse statuendum sit, an orator causa aliqua impeditus quominus incepto satisfaceret, in epistolarum prooemiis elaborandis et foras mittendis substiterit. Atque tecum quaeso reputes, sub epistolam primam conscriptam nuntium de Dionysio vita defuncto Athenas allatum esse; sub tempora epistolae alterius, quae Iasonis filios ad vitam capessendam privatam et rem publicam tuendam liberam admonet, tyrannicidas ipsos tyrannidem occupavisse; epistolae denique tertiae consilium, quasi foedere cum Lacedaemoniis ineundo et bello contra Persas coniunctim suscipiendo (cf. Demosthenes XIV et [XII] 6, Schäfer Demosthenes I² p. 456 sq.) occurrendum sit periculo, quod iam anno 356 a Persis imminebat, pace repentina a Persarum rege coacta subinde ad irritum cecidisse. Quid? Oratorem nonne rebus commutatis prohibitum esse ab epistolis illis absolvendis tibi persuasisti? Sed ne Philippi § 81 locum premas, ubi orator de epistola ad Dionysium tyrannum data verba facit (ἅπερ ἀπέστειλα). Quae licet epistolae exordium, ad quod orator provocat, iam antea in publicum emissum esse pro certo demonstrent (cf. ep. I 9), de litteris perfectis quidem et dimissis sententiam non probant.

Immo frustra quaeras, cur epistola Iasonis filiis destinata ab oratore divulgata non sit tota, si iam ad finem perducta et perpolita fuisset. At in epistolis I. et III. quidem vestigia manent operis imperfecti, quae auctoris diligentissimi atque etiam viribus pollentis consuetudini maxime contraria sunt (cf. Blass II² p. 295 et 297): quam ob rem etiam de epistolis illis ab Isocrate ipso omnino non editis poteris cogitare. Speusippum vero (epist. Socrat. XXX § 13) omnia scripta illa iam cognovisse Blassius iniuria contendit (II² p. 89 et 294), quippe cum Speusippi verba de eadem oratione et Agesilao et Dionysio et Alexandro Thessalo et Philippo venditata ad epistolas Dionysio et Iasonis filiis inscriptas, quarum plane diversum est propositum, omnino non quadrent. Atque etiam nomina Archidami et Iasonis filiorum apud Speusippum Agesilai et Alexandri nominibus aegre posse substitui Blassio oblocutus iamdudum exposui in Philologi vol. LIV 1895 p. 649. Quare testimonium Speusippi in Isocratem infensi, qui de prooemiis illis fama tantum videtur accepisse, auctoritate privatum est.

Ex temporum rationibus proximae sunt epistolae nonnullae commendaticiae ad res privatas spectantes, quae allatae sunt

IV. τοῖς Μυτιληναίων ἄρχουσιν (8)
V. Τιμοθέῳ (7)
VI. Ἀντιπάτρῳ (4).

Quarum prior scripta est in favorem Agenoris cuiusdam musici, magistri musices Apharei filiis facti, qui Isocrate deprecante reditum in patriam cum patre et fratribus a Mytilenaeis impetrare studuit. Quod accidit circa annum 350, cum Timotheus mortuus esset (§ 8, cf. p. CLVI) et Diophantus in Asia cum Persarum rege pugnaret (§ 8, cf. Diodor. XVI 48, Demosth. XV 19, [XL] 37, Schäfer Demosthenes I² p. 480 sq.) et Mytilenis pauci dominationem tenerent (cf. Demosth. XV 19): quod elici potest ex epistolae titulo τοῖς Μυτιληναίων ἄρχουσιν, quos urbis gubernatores cum Hauptio p. 40 rei publicae liberae magistratus appellare vereor. — Epistola altera, qua Isocrates Autocratorem familiarem in arte quadam versatum commendavit (§ 10/11), orator amicitiam, quam habuerat cum Clearcho discipulo quondam, postea Heracleae oppidi Pontici tyranno, cum filio eius Timotheo renovavit, qui anno circiter 352 sub Satyri avunculi tutela patris regnum exceperat. Atque Timotheus circa annum 345/4 sui iuris factus et ad imperandum maturus (cf. Memnonem apud Phot. bibl. cod. 222) paulo post Isocratis epistolam accepit (cf. § 1), quae orationibus Nicocleis aliquatenus similis principem de imperio civiliter exercendo admonuit. —

Subiungendae denique sunt litterae pro Diodoto quodam Isocratis discipulo et amico ad Antipatrum datae eo tempore quo bellum cum Macedonibus erat (§ 1), Antipater autem in Macedonia plurimum valebat. Qui iam ante pacem quae vocatur Philocrateam magna apud Philippum auctoritate viguit, familiaritatem tamen cum Isocrate, quam epistola haec prodit, anno demum 346 suscepit, cum Philippi legatus ad pacem conciliandam Athenas venit. Quare epistolam ad belli anno 340 redintegrati tempora referendam esse probatur.

Totius ordinis finem facient epistolae Philippicae tres

VII. Φιλίππῳ· οἶδα μέν κτέ (2)

VIII. Ἀλεξάνδρῳ (5)

IX. Φιλίππῳ· ἐγὼ διελέχθην κτέ (3),

quarum priores iam paulo ante litteras Antipatro missas compositae sunt, ex argumento tamen ad res Graecas spectante cum ultima aptissime copulantur. Priorem enim ad Philippum epistolam scriptam esse apparet inter orationem Philippicam (§ 1) Thessalorumque imperium a Philippo anno 344/3 susceptum (§ 20, cf. Diodor. XVI 69, 8 Beloch II p. 532/34) et bellum cum Philippo ab Atheniensibus anno 340 de integro instauratum (§ 14). Causam autem epistolae conscribendae dedisse vulnus Philippo cum barbaris pugnanti inflictum auctor haud semel affirmavit (§ 3 sq., 11 sq.), quam calamitatem ad bellum Thracium (342/1) referendam esse facile cernitur, quoniam de expeditione a Philippo in Triballos anno 339 instituta propter inimicitias cum Atheniensibus tunc iam renovatas cogitari nequit (cf. etiam Didymi de Demosth. comment. col. XII 40 sq.). — Qua cum epistola, quae regem ad amicitiam cum Atheniensibus continuandam impellere conatur (§ 14 sq.), videtur componenda esse brevis admonitio Alexandri per litteras facta, quae delata simul cum epistola aliqua ad Philippum patrem missa (§ 1) iuvenem nondum adultum ad philosophiam — quam quidem Isocrates professus est — sectandam hortatur.

Ultimum inter omnia Isocratis scripta locum habent breves codicilli, qui pugna apud Chaeroneam mense Sextili anni 338 commissa et pace conciliata (§ 1/2), ante ipsam oratoris mortem ad Philippum mandati sunt. Tabellarii vero munere videtur functus esse Antipater, qui a Philippo ad occisorum reliquias reportandas cum Alexandro Athenas delegatus erat: quem hic cum Isocrate collocutum esse ex epistolae verbis § 1 satis constat. Atque Philippum, qui Athenis pepercerat et commune Graecorum concilium Corinthum convocaverat,

Isocrati vindicem et salutis auctorem visum esse eo magis statuendum est, quoniam regem contra Persas bellum, quod orator iterum atque iterum flagitavit, iam suscepturum esse tunc omnibus manifestum erat (cf. Beloch II p. 574). Quocirca epistolam Isocratis ingenio plane convenire contendo, neque in regis adulatione aliquatenus illiberali (§ 6) haereo, quam in omnibus scriptis Philippo et Alexandro (§ 5) ab illo commendatis haud minus notabilem reperies. Neque obstant ea, quae veteres de Isocratis exitu tradiderunt (cf. Blass II² p. 97/98). Nam paucis diebus post pugnam Chaeroneensem oratorem, qui de patria servitute oppressa summo dolore afflictus esset, mortem voluntariam fame sibi conscivisse testes sunt Dionysius Halic. de Isocrate c. 1 (ὀλίγαις ἡμέραις ὕστερον τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ μάχης . . . ἀδήλου ἔτι ὄντος, πῶς χρήσεται τῇ τύχῃ Φίλιππος παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν τῶν Ἑλλήνων), Pausan. I 18, 8, Ps.-Plutarch. vit. X oratt. p. 837 E (cf. vitam Isocratis Zosimi qui vocatur p. 258 Westerm.). Contra Aphareus Isocratis privignus et Demetrius Phalereus, qui oratorem ipsum etiam vidit, eum simul cum occisorum exsequiis animum edidisse memoriae prodiderunt, cf. ἐξελθεῖν δὲ τοῦ βίου οἱ μὲν ἐνναταῖόν φασι σίτων ἀποσχόμενον, οἱ δὲ τεταρταῖον ἅμα ταῖς ταφαῖς τῶν ἐν Χαιρωνείᾳ πεσόντων Ps.-Plutarch. vit. X oratt. p. 838 B = ἀπέθανε δ' ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην . . . ἀποκαρτερήσας δ' ἐτελεύτησεν, ὡς μὲν Δημήτριός φησιν θ' ἡμέρας, ὡς δ' Ἀφαρεὺς ιδ' vit. Isocratis [Zosimi] p. 258 Westerm. Quae narrationes sane inter se pugnant, quoniam interfectorum in acie civium ossa post pacem factam demum Athenas reducta et hieme, Demosthene laudes dicente, publice sepulta sunt. At apertus est error Wilamowitzii (Aristoteles und Athen II p. 393/96), qui Isocratem quattuor (quattuordecim?) vel novem diebus post cladem apud Chaeroneam a Graecis acceptam diem supremum obiisse ex Apharei Demetriique testimoniis elicuit. Contra peritissimi hi viri, id quod ex consentiente Ps.-Plutarchi et Zosimi quem dicunt memoria apparet, Isocratem vel 4 (14) vel 9 diebus cibo se abstinuisse tradiderunt ne verbo quidem significantes, utrum orator sua sponte an valetudine coactus (cf. XXI 267) escam recusavisset, dum viribus confectus moreretur. Neque omnino causa fuit, cur orator etiam post pacem compositam „λυπηθεὶς διὰ τὴν ἧτταν καὶ τὴν συμφορὰν τὴν γενομένην ἐκεῖσε τοῖς Ἀθηναίοις παρὰ Φιλίππου“ (Zosimus) mortem sibi daret. Quid vero? Memoriam de Isocratis morte nonne triplicem vides, simplicem et verissimam aequalium Apharei et Demetrii, qui re gesta simpliciter et sincere exposita de mortis causa silent, alteram exornatam et fictam posteriorum

nescio quorum (Hermippum fortasse secuti sunt), qui patriae amorem clade violatum mortis voluntariae causam excitant, tertiam denique ex ambabus conflatam apud Zosimum quem vocant, quae tempore mortis accuratius non descripto Apharei Demetriique testimonia cum posteriorum commentis coniunxit?

Quae cum ita se habeant, contra Vaterum, Keilium, Wilamowitzium, alios cum Blassio et Eduardo Meyer (V 1902 p. 451, 480) facio, qui epistolarum omnium fidem ex temporibus et consiliis earum diserte defenderunt; singula ne longus sim hic non perscrutabor. Sed etiam in verbis nihil inest, quod de falsario aliquo cogitare cogat, quamvis praeter alios Muenscherus et de Gratia — miris modis hic — confidenter affirmaverint. Nam cum elocutio verborum delectu et sententiarum compositione omni ex parte Isocratea sit, singularia quaedam (cf. II 2 ἐπιξενοῦσθαι, 9 ἐριγνηθῆναι, VI 4 λιγυρώτατον, 11 τὸ σωμάτιον οὐκ εὐκρινές, ἄττα σίνη etc.) ita comparata sunt, ut scriptori vel maxime Attico saeculi quarti omni pacto conveniant. Atque epistolarum dictio elegans quidem et artis plena paulo humilior est aut neglegentior quam in orationibus demonstrativis, cum auctor ne alterius cuiusdam quidem verba ab ipsius usu aliena recipere recusaverit (cf. VI 11). Quis vero Graeculorum noviciorum iudicabit, quid summus artis oratoriae magister dicere potuerit, quid noluerit? Equidem Isocratis scripta per multos annos volutans exagitatorum illorum audaciam emiror.

Cf. Blass, II² p. 293/99, 326/31, III 2² p. 379/83 — Anonymus interpres (Angelus Mai) orationis de permutatione (1813) in appendicibus p. 127/34: I. de epistola Isocratis quae in editionibus inscribitur prima Philippo, II. de epistola Isocratis quae in editionibus est quarta ad Philippum et de reliquis Isocratis epistolis — Christian, translat. German. 1836 p. 1014 sq. — Frid. Vater, Quaestionum historicarum fascic. I, de Isocratis qui fertur epistolis. Part. I Kasan 1846 (96 pagg.). cf. Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1847 col. 476 — Ant. Westermann, Comment. de epistolarum scriptoribus Graecis Part. V. (no. 84: de Isocratis epistolis), Lipsiae 1854 — Fr. Blass, Isokrates' dritter Brief und die gewöhnliche Erzählung von seinem Tode, Rhein. Mus. XX 1865 p. 109/116; idem, ‚Unechte Briefe', Rhein. Mus. LIV 1899 p. 33/36 — E. H. Haupt, de Isocratis epistolis prima, sexta, octava. Dissert. Lips. 1873 — R. C. Jebb, on the sixth letter of Isocrates, Journal of philol. V 1874 p. 266/68 — Br. Keil, Analecta Isocratea 1885 p. 143/45 (ad ep. 4, 11) — U. v. Wilamowitz-Moellendorff, Aristoteles und Athen II 1893 p. 391/99 (die Briefe des Isokrates); idem: Unechte Briefe, Hermes XXXIII 1898 p. 492/96 — K. Münscher, der sechste isokratische Brief, Satura Viadrina 1896 p. 39/47 — Dem. de Grazia, de Isocratis quae feruntur epistulis, Catinae 1898.

Atque haec de orationibus et epistolis. De fragmentis artis oratoriae, cuius fides iam ab antiquis quibusdam iure negata sit (cf. Quintil. II 14, 4, Cicer. de invent. II 7; cf. etiam Philodem. rhet. II p. 123 S), disserere supersedeo: in mente mihi non est, ut Isocratis reliquias dubias quae praeter orationes servantur colligam et edam. Quapropter etiam sententias (ἀποφθέγματα) quae Isocratis nomine circumferuntur, quas Sauppius (Oratores Att. II p. 227), Benselerus et Blassius (edit. vol. II p. 276/79, cf. Blass, Attische Bereds. II[2] p. 21/22, 99/100, 401) e gnomologiis potissimum coegerunt, suadente Eltero omnino neglexi, praesertim cum gnomologiis Byzantinis, corpore Parisino, Georgide, aliis nondum accurate cognitis nunc non constet, quot Isocratis dicta fontibus illis contineantur quaeque sententiarum traditarum forma sit genuina (cf. Elter, Gnomica homoeomata III, Bonnae 1902 p. 184/85).

Cf. de orationibus deperditis et genuinis et spuriis: Blass II[2] p. 46, 102/4, 450 — Br. Keil, Analecta Isocratea p. 101/4 et ea quae exposui supra p. LXXXVII et in Addendis p. CXCVI.

Cf. de arte oratoria subditicia: Blass II[2] p. 104/7 — L. Spengel, συναγωγὴ τεχνῶν 1828 p. 154/72 — Christian, translat. German. 1836 p. 996/1013 — Bake, Scholica hypomnemata III 1844 p. 67 sq. — Sauppe, Oratt. Att. II 1850 p. 224/26 — Ἀ. Κυπριανός, τὰ ἀπόρρητα τοῦ Ἰσοκράτους ἢ περὶ λόγων ἐσχηματισμένων, Ἀθῆναι 1871, contra quem disputaverunt Rehdantz, Götting. gel. Anz. 1872 p. 1201 sq. et M. G. Demitsas, Ἀθήναιον VI 1878 p. 393/416 — G. Thiele, das Lehrbuch des Isokrates, Hermes XXVII 1892 p. 11/21 — M. Sheehan, de fide artis rhetoricae Isocrati tributae, Dissert. Bonn. 1901 — P. Wendland, Anaximenes von Lampsakos (Hermes XXXIX 1904 p. 513/38 passim, praecipue p. 515 n. 2) 1905 p. 36 sq.

Caput V.

De editionibus prioribus deque huius editionis ratione.

Ex omnibus oratoribus Atticis primus Isocrates Graece editus est, postquam studiis Graecis renatis viri docti iam dudum in deliciis eum habere coeperunt: cf. K. Müllner, Zur humanistischen Übersetzungslitteratur (Isocrates I/II), Wiener Studien XXIII 1901 p. 276/99 (de oratione ad Demonicum a Lapo Castelliunculo circa annum 1435 et de oratione ad Nicoclem a Guarino Veronensi anno 1441 in Latinum conversis); idem, Isocratis oratio ad Demonicum a Nicolao Sagundino in Latinum conversa, Progr. Wiener-Neustadt 1903; R. Sabbadini,

una traduzione medievale del πρὸς Δημόνικον di Isocrate e una humanistica (i. e. Guarini Veronensis, qui orationem interpretatus est intra annos 1403 et 1408), Rendiconti d. R. Istit. Lombardo, ser. II vol. XXXVIII 1905 fasc. XIV p. 674/87. Ac primum quidem orationes singulae Latine redditae iam paulo post artem librorum typis exscribendorum inventam in lucem editae sunt, inter quas secundum Ludovicum Hain (Repertor. bibliogr. vol. II 1, 1831) videntur commemorandae esse: *orationes Nicocleae in Latinum versae per Michaelem Chesserium Bosnensem episcopum* (impressae Bononiae, sine anno); *oratio de laudibus Helenae traducta Joanne Petro Lucense interprete* (sine loco et anno: Romae 1480 secundum Copinger, Supplement to Hains Repertor. Bibl. I 1895; iterum edita Venetiis 1494); *praecepta ad Demonicum a Rudolpho Agricola in Latinum traducta* (sine loco et anno); *praecepta ad Demonicum a Nicolao Lusco Vicentino Lat. facta et ab Augustino Tactensi edita* (sine loco et anno); praeterea *Euagorae vita per Guarinum Veronensem Latine facta* (in translatione vitarum virorum illustrium ex Plutarcho) Venetiis 1478 vol. II. f. Y 2; *Bernardi Justiniani traductio in Isocratis libellum ad Nicoclem regem*, Venetiis (sine anno): ultimae duae in bibliotheca universitatis Monacensis exstant. De Graecis vero editionibus videas S. F. G. Hoffmann, Lexicon bibliographicum scriptorum Graecorum II² Lipsiae 1839 et editionum a me adhibitarum enumerationem, quam titulis accurate descriptis infra p. CXC adieci.

Sospitator Isocratis Graecus fuit Demetrius Chalcondylas Atheniensis, Theodori Gazae discipulus, qui Mediolani anno 1493 Isocratis orationes XXI ex codice memoriae vulgatae contaminatae excudi iussit praemissis oratoris vitis a Plutarcho, Philostrato, Dionysio Halic. conscriptis. Orationes autem hunc servant ordinem: ad Demon., ad Nicocl., Nicocl., Euagor., Helen., Busir., c. sophist., Paneg., Plataic., Areopag., Panath., Philipp. cum argum., de pace cum argum., Archid. cum argum., Antid., de bigis, Aeginet., Trapez., in Callim., c. Lochit., in Euthyn. Quem ordinem retinuit Isocratis editio Aldina (Venetiis 1513) ex ipsa editione Mediolanensi novis quibusdam codicum subsidiis arcessitis descripta (cf. p. LVII/LVIII). Atque in Aldina, quae frequentissimis typothetarum mendis foedata est, Musurus editor (p. 2) Busiridis argumentum et scripta nonnulla Alcidamantis (κατὰ σοφιστῶν), Gorgiae (Ἑλένης ἐγκώμιον), Aristidis (Παναθηναϊκός, Ῥώμης ἐγκώμιον) addidit.

Isocratis epistolae primum prodierunt in Epistolarum collec-

tione Aldina (Venetiis 1499) a Marco Musuro curata (cf. f. 400b), cui in ea parte, quae Isocratem continet, subest liber mancus e codice Vatic. 64 = Φ descriptus (cf. p. LXIV). Insunt epistolae VIII hoc ordine: φιλίππῳ· εἰ μὲν νεώτερος (= I. Διονυσίῳ), τοῖς ἰάσονος παισίν (II.), φιλίππῳ· οἶδα μέν (VII.), φιλίππῳ· ἐγὼ διελέχθην (IX.), ἀλεξάνδρῳ (VIII.), φιλίππῳ· ἐγὼ καίπερ (= VI. ἀντιπάτρῳ), τιμοθέῳ (V.), τοῖς μιτυληναίων ἄρχουσι (IV.). Deest epistola III. ad Archidamum data sicut in cod. Vatic. 1336. Inscriptiones epistolarum I. et VI., quae in codice videntur omissae esse (cf. codd. Palat. 134, Vatic. 1336), coniectura confictae sunt. — Ex hac editione teste Matthaeio (Isocratis epistolae 1776 p. XII) tota pendet Collectio epistolarum Graecarum, quae vulgo dicitur Cuiaciana (Aurel. Allobrog. 1606).

Eae quae proximis annis secutae sunt editiones omnes ex Mediolanensi et Aldina originem duxerunt novis quibusdam vitiis illatis, Haganoensis ex officina Seceriana (1533 in 8⁰ foll. 354, cf. Langii praefationem p. 40); Aldina altera (Venetiis 1534 in folio foll. 116), cui praeter Alcidamantis, Gorgiae, Aristidis scripta etiam Harpocrationis excerpta in calce accesserunt; Brubachiana (Francofurti 1540 cum variae lectionis annotatione), quarum omnium in re critica pretium est nullum. Commemoranda est etiam editio mire facta Venetiis 1535: *Isocratis orationes XXI alias a Demetrio Chalcondyla primum Mediolani correctae et aeditae: nunc autem iterum accurate recognitae et impressae emittuntur*, quae est ipsa editio Mediolanensis princeps novo sub indice denuo foras edita. Quod facile cognoscitur inspectis foliis 1 et 8, 195 et 200, quae typis a reliquo libro paulum differentibus exscripta sunt, ut exemplis editionis principis nondum divenditis inscriptio et subscriptio novae adici possent. Hunc librum possident et bibliotheca regia Monacensis et bibliotheca publica Parisiensis. — Alia notabilis est editio in 8⁰, quam bibliotheca universitatis Lipsiensis asservat: ***Ισοκρατους Αθηναιου σοφιστου λογοι και επιστολαι.*** *Isocratis Atheniensis rhetoris orationes et epistolae. Venetiis 1542* et in folio ultimo 287b *Venetiis ex officina Farrea 1543*, in qua primum Isocratis orationes reconciliatae sunt cum epistolis. Ordo tamen epistolarum libidinose mutatus est: I (φιλίππῳ), VII, IX, VI (φιλίππῳ), VIII, II, V, IV, quem posteriores secuti sunt omnes. Atque editoris illius voluntas temeraria etiam epistolam Theophylacti Simocattae no. 79 Ἰσοκράτης Διονυσίῳ· πρόπομποι καὶ ῥαβδοῦχοι κτἑ (cf. Aldi epist. divers. II ψ fol. IV = f. 362a) Isocrateis addidit,

quae posterioribus omnibus adeo imposuit, ut Turicenses demum et Blassius (non Baiterus apud Didot. et Benselerus) maculam hanc ex operibus Isocratis delere ausi sint. — Ab editoribus nondum inspecta in tenebris adhuc iacet editio „nitida“ (cf. Hoffmann II² p. 616) Venetiis 1549 in publicum emissa: *Isocratis Atheniensis rhetoris orationes et epistolae. Imprimebat Petrus Nicolinus Sabiensis et socii, sumptum vero faciebat Melchior Sessa*, pagg. 276 in 8⁰.

Iam vero recensendae sunt editiones Basileenses, quarum prima (= Basil. 1) in 8⁰ prodiit anno 1546. Quae editio — repetita annis 1550, 1555, 1561 apud Mich. Isingrinum — expressa est ex Aldina (altera?) adiectis et epistolis (ex Venetiana Farreae 1543) et sub calcem *ἁρποκρατιωνος και σουιδα περί τινων παρ' ἰσοκράτει λέξεων*. — Basileensis altera dicitur editio in 8⁰ anno 1565 per Thomam Guarinum curata (repetita annis 1571 et 1579), cui praeter Harpocrationis et Suidae notas addita iam sunt et orationum argumenta et annotationes marginales a Wolfio conscripta. — Celeberrimus vero editorum Basileensium fuit Hieronymus Wolfius Oettingensis, qui vir doctissimus natus anno 1516 iam XIX. aetatis anno Tybingae moratus ad assiduam Isocratis lectionem excitatus est, cum Iacobus Scheggius et ipsi et Ioanni Scheubelio Euagorae laudationem privatim interpretaretur. „Quae mihi res“ — haec sunt verba eius in editione maiore 1570 I p. 685 — „tantam Isocratis admirationem movit, ut ex eo tempore vix ullum sive Latinum sive Graecum scriptorem illi anteponam.“ Ac primum quidem post varios vitae casus quattuor orationes Isocrateas Latine expressit, Archidamum, Philippum, de pace, Areopagiticum. Quibus Basileam allatis Oporinus auctor exstitit Wolfio totius Isocratis (orationum, epistolarum, vitae) convertendi, quod fugiente stilo intra mensis unius spatium factum est Argentinae anno 1547, postquam prioribus iam temporibus hoc munere functus est Ioannes Lonicerus (Basileae 1529, iterum Marpurgi 1540 in 8⁰: desunt epistolae). Prelo subiectus et editus est Wolfii Isocrates Latinus Basileae 1548 apud Oporinum addita castigatione et annotatione, ordine autem servato eo, qui in Mediolanensi et Aldina erat. Tribus annis post, cum Wolfius discipulos Augustanos per biennium Basileae, per annum Lutetiae Parisiorum instituisset, anno 1551 Basileam revocatus editionis illius prioris codicem assiduo labore perpolitum et limatum Vascosano reliquit, „a quo is“ — secundum Wolfium — „biennio post, cum eum contempsisse lucubrationem meam putarem, est elegantis typis editus“ (*Isocratis rhetoris*

Atheniensis orationes et epistolae gravitatis et suavitatis plenae: de Graeco in Latinum pridem conversae, nunc recognitae per Hieronymum Wolfium Oetingensem. Lutetiae, ex officina Michaelis Vascosani 1553: quae editio in bibliotheca universitatis Monacensis asservatur). „Quo tempore illius editionis Oporinus aeque ignarus, severiore etiam a me lima, dum Fuggeranae bibliothecae praeessem, adhibita, eundem Graece Latineque recudit,“ titulo inscripto *Isocratis scripta quae exstant omnia per Hieronymum Wolfium Oettingensem summo labore et diligentia correcta et de integro conversa* (Gr. et Lat.), Basileae 1553 per Io. Oporinum pagg. 16 + 1039 in 8⁰. Qua in editione marginum annotationibus adornata — quae repetita est annis 1558, 1567 et sine anno, item Tremoniae 1558 — orationes iam in classes a Wolfio constitutas (cf. edit. 1570 I p. 683/85) distributae sunt ordine tamen ab editione maiore postrema paululum differente: I. admonitiones: ad Demon., ad Nicocl., Nicocl.; II. suasiones: Paneg., Areopag., Philipp., de pace, Archid. (1570 autem, sicut iam 1553 apud Vascosanum: Paneg., Philipp., Archid., Areopag., de pace); III. laudationes: Euagor., Helen., Busir., Panath., c. sophist. (quae est vituperatio); IV. forenses: Plataic., Antidos., de bigis, Trapez., in Callim., Aegin., c. Lochit., in Euthyn. (1553 apud Vascosanum Aegineticus interpositus est inter orationem de bigis et Trapeziticum); V. epistolae: eodem ordine atque in editione Veneta 1543 (Farreae).

Tertiis demum curis Wolfius opus, cui totam vitam dicaverat, absolvit editione quae dicitur maiore (II voll. in folio) Basileae 1570 apud Oporinum emissa, quae per 250 fere annos lucubrationum omnium ad Isocratem pertinentium fundamentum erat futura. Atque nova librorum manuscriptorum subsidia Wolfio praesto non fuerunt praeter paucas codicis alicuius Fuggerani („vetustissimi“, ex Λ autem deducti cf. Areopag. § 42 = Λ_4) lectiones ab Eduardo Henrysio Scoto descriptas: quem librum ut indagarem mihi non contigit, quoniam Wolfius idoneam illius descriptionem non praestitit. Praeterea notae pauculae Budaei Parisiensis in manus eius venerunt; alia paucissima ex aliorum translationibus (e. g. Agricolae) hausta sunt. Editiones adhibitae sunt Aldina orationum, Haganoensis Seceriana, Francofurtensis Brubachiana, Basileensis Oporiniana (cf. II p. 806/7; in Mediolanensem autem orationum et in Aldinam epistolarum non incidit Wolfius): e quibus cum primum quidem Brubachianam solam manibus triverit, animadversiones criticas (sive castigationes) editionis illius paginas secutus disposuit. Textum autem permultis locis

felicissime emendatum explicavit translatione Latina accuratissima et (in volumine altero) commentario doctissimo (diffuso sane, cum studiosis adolescentibus prodesse vellet, cf. II p. 807); in castigationibus denique (II p. 807/46) ad verba oratoris emendanda coniecturas protulit creberrimas et — quamvis audaces interdum — sagacissimas. Atque utinam non Langius (praefat. p. 43) Wolfium obiurgavisset, quod „annotationes, quatenus illae ad res explicandas factae sunt, nequaquam sufficiunt, quum quod non ubique lectorem iuvant, tum quod nonnunquam falsae sunt et celeri tantum manu in chartam coniectae“, porro quod „multae coniecturae praeter necessitatem receptae sunt, denique multos locos aut praeteriit explicandos aut perperam explicuit.“ Sint vera haec opprobria, — et sunt ex parte, — excusanda tamen erant Wolfii his: „Tu ipse igitur omnia perpende diligenter, nec coniecturis nostris (nullius enim exemplaris ope magnopere adiuti sumus) plus quam par est aut ipsi volumus tribuas“ (II p. 846). Immo Wolfii de Isocrate merita ipso Langio iudice „tanta sunt, ut a nullo editore, qui quidem adhuc eum secuti sunt, superata videantur“ et ne a Bekkero quidem superata sint, qui inventa sua fortunae secundae, codici Urbinati forte oblato, debuit, non ingenio suo.

Iis quae annum 1570 insequuntur temporibus Wolfii curae persaepe et ab Oporino et ab aliis iteratae sunt, quas editiones omnes diligenter enumerare longum est, quoniam ad rem criticam non faciunt. Novi has: Basileae ex officina Oporiniana 1571, 1582, 1587, Basileae per Hieronymum Gemusaeum ex officina Oporiniana 1594, Basileae ex officina Waldkirchiana 1602, 1613, Basileae apud Ludovicum König 1631, Francofurti apud Jo. Wechelum 1585, 1590, 1598, Lipsiae εκ τυπογραφειου Γοτταρδου Βοιγελινου 1607 (est in bibliotheca universitatis Lipsiensis), Coloniae Allobrog. 1618 (est in bibliotheca universitatis Monacensis), Parisiis (1603?), 1615, 1621 (Libert), 1621, 1631 (Chappelet), Londini 1615 (Norton et Bill), Cantabrigiae 1686 (Hayes).

Nominanda tamen et respicienda est editio Henrici Stephani, de auctoribus Graecis optime meriti, Parisiis 1593, non quod novum lectoribus Isocratem dederit, sed quia editor illa aetate solus suo iudicio usus Wolfii coniecturas haud raro reiecit et Aldinae textum reduxit. Emendationes quidem Stephanianae — nisi quod apostrophi crebrius positi sunt — paucissimae sunt (nonnullae in praefatione p. 6 et sub calcem diatribae septimae p. 31), ut Langium (p. 44) de hac editione recte iudicavisse putemus, Stephanum „non tantum in Isocrate praestitisse, quantum vir eruditissimus potuisset, si vo-

luisset". Nempe „totum est tumultuario potius operi quam editioni diligenti cura elaboratae similius. Plura reprehendit, quae ipse facere neglexit." Quod festinationi praecipiti ad nundinas proximas spectanti tribuendum esse editor de opere suo praefatus aperte docet, qui quod octava de Isocrate emendando diatriba praeter specimen aliquod elaborata non sit atque adeo septima de Harpocratione et Suida Isocratis testibus imperfecta manserit, temporis post reditum e Germania angustiis excusat. Praecipua autem et optima operae in Isocratem collocatae pars habendae sunt diatribae VII editioni annexae, quae de Isocratis vita, arte, scriptis quaestiones moverint gravissimas: commemorabo disputationes (diatr. I et II) de orationibus ad Demonicum, ad Nicoclem, Nicocle Isocrati abiudicandis. — Iterata est editio Stephaniana merito rarius quam Wolfiana: Genevae (oliva Pauli Stephani) 1604, ibidem (apud Crispinos) 1609, 1613, (1618, 1621, 1636?), 1642, ibidem (Chouet) 1651. Editionis paginas, quas in Isocratis verbis afferendis haud pauci secuti sint, Bekkerum imitatus in editionis huius marginibus exscribendas curavi.

Paucis absolvam de editionibus et translationibus orationum selectarum aut singularum, quae saeculis XVI. et XVII. re critica fere neglecta publici iuris factae sunt. De prioribus cum Wolfio (1570 I p. 688) referam haec: „Paraenesin interpretatus est Antonius Luscus, Rodolphus Agricola, Joachimus Camerarius. Antonius Schorus, Andreas Sidelius. Orationem de regno ad Nicoclem Martinus Philelicus, Erasmus Roterodamus, Thomas Naogeorgus; Nicoclem et Euagoram Claudius Baduellus sane quam eleganter: qui utinam totum Isocratem convertendum sumpsisset; sic enim mea opera nequaquam fuisset opus. Euagoram Baptista Guarinus, Matthaeus Dreserus. Areopagiticum Joannes Ludovicus Vives et Vitus Amerpachius. Orationem contra sophistas Christophorus Hegendorfinus, Vitus Amerpachius: idemque et Nicoclem et Helenae laudationem et Busiridem et Plataicum et de Permutatione: Archidamum item, quem et Victorinus Strigelius. Philippicam Georgius Sabinus. Orationem de Pace Onophrius Bartholinus et Petrus Mosellanus. Orationes Isocratis omnes Joannes Lonicerus; epistolas omnes Renatus Guillonius." — Accuratiora contulit Hoffmannus (Lexicon bibliogr. 1839 p. 620/28 de editionibus), qui etiam translationes Latinas, Germanicas, Gallicas, Italicas, Britannicas, Hispanicas (1), Belgicas (1) recensuit ibidem p. 628/36. Atque temporibus illis adhortationes — coniunctas saepius cum Plutarchi περὶ παιδῶν ἀγωγῆς — ceteris orationibus

omnibus antepositas fuisse vel inde colligitur, quod oratio ad Demonicum saeculo XVI. — Graece inde ab annis [1507 Paris. ap. Egid. Gourmont] cum oratione ad Nicoclem (exstat in bibliotheca universatis Monacensis), 1515 Argentorati per Othmarum Luscinium (i. e. Nachtigall) — vel sola vel cum aliis paucis tricies quater, saeculo XVII. vicies sexies, saeculo XVIII. vicies bis separatim edita est. Oratio ad Nicoclem — Graece inde ab annis 1507 (cf. ad Demonicum), 1515 per Luscinium, 1518 per Erasmum Roterodamum — saeculo XVI. vicies ter, eodem saeculo Euagoras quinquies, Helenae laudatio quinquies, oratio de pace ter seorsum prodierunt. Panegyricus vero nunc omnibus iure celebratissimus ante Morum 1766 perpaucas nactus est editiones singulares: in Latinum translatus est per J. Mar. Catanaeum, Romae 1509; Graece editus est 1538 Parisiis, 1695 Upsalae, 1727 Oxonii (cum admonitionibus tribus, Euag., Panath.): secundum Hoffmannum; exstant praeterea in bibliotheca regia Monacensi editiones separatae: Ingolstadii 1595 (et 1600 ed. secunda) cum Areopagitico Philippo, Archidamo et Lugduni Batav. 1659 cum interpretatione Latina inter lineas. Post Morum autem diligentius lectitatus et usque ad annum 1832 quinquies decies seorsum divulgatus est.

Stephani fere aetate Isocratis epistola ad Archidamum, quae in editionibus desiderabatur, ex codice Fulvii Ursini (nunc Vatic. 1347, cf. p. XLVII) protracta est ab Andrea Schotto, qui Davidio Hoeschelio eam concessit emittendam. Atque Hoeschelius epistolam illam in Photii editione (Βιβλιοθήκη τοῦ Φωτίου, Augustae Vindel. 1601) in annot. p. 942 sq. Graece exscripsit, quam Schottus in Photianae bibliothecae interpretatione Latina (Augustae Vindel. 1606) Latine reddidit: unde Paulus Stephanus editiones Hoeschelii et Schotti redintegrans (Aureliae Allobr. 1611) eam repetivit. Saeculo post haec epistola separatim edita est Vitembergae 1706 a Jo. Davidio Koehler Coldicensi (postea „nobili professore Goettingensi“ secundum Reiskium, Oratt. Gr. III p. 773), qui „vel hac ratione modoque in eo genere non nihil exercere stylum“ voluit. Profecto pueri balbutientis annotationes illius esse credideris!

Per totum fere saeculum XVII. et sequentis initium Isocrates neglectus iacuit, dum Guil. Battie medicus Britannus editionem novam elucubrandam suscepit. Cuius prodiit vol. I Cantabrigiae 1729 (orationes VII: ad. Demon., ad Nicocl., Nicocl., Paneg., Philipp., Areop., de pace, epistolae) *„varias lectiones subiecit, versionem novam notasque ex Hieron. Wolfio potissimum desumtas adiunxit“*,

vol. II Londini 1748 (orationes XIV reliquae), voll. I/II iterata Londini 1749. Praesto fuerunt editori codices admonitiones solas complexi Bodleiani quattuor Barocc. 33, Laud. 16, Collegii novi 254 et alius quidam signatus NE A 3. 10*), Harleiani duo 5660, 6301, quos tamen accuratius non distinxit, denique codicis instar liber impressus (anno 1593: immo 1493) collegii novi, quem editionem Mediolanensem iure habuit Langius (p. 39 et 44): re vera et lectio varia prorsus congruit et bibliotheca collegii illius editionem principem possidet asseverante H. E. Butlero. Mireris sane, quod virum doctum codicum vestigia persecutum uberiores omnes qui in Britannia nunc conservantur libri (Canonic. 87, Bodl. miscell. 187 et 315, Burn. 85) fugerunt. Sed etiam praesidiis suis ad emendandum scriptorem parum scite est usus, cum lectio Battieana nihil fere a Wolfiana editione maiore differat, nisi quod editor ille (cum Stephano) apostrophos crebrius posuit. Quin etiam ne epistolam quidem ad Archidamum iam saeculo ante pervulgatam et a Fabricio in Bibliotheca Graeca (edit. secunda 1708 lib. II p. 413) accurate designatam in editionem suam ascivit, quam neglegentiam vel potius ignorantiam gravi opprobrio illi vertit Reiskius (Oratt. Gr. III p. 773/4: at in Bibliothecae Graecae editione illa mutilata anni 1725 lib. II p. 409/10 notitia de Isocratis epistola illa re vera suppressa erat). Sane Aldum,

---

*) 96a) cod. Bodleianus Auct. F. 6. 1, chartac. in 8° (5 × 3¾ „inches“ = ca. 15 × 11 cm.) foll. 323. saec. XV./XVI. Codex miscellaneus Graeco-Latinus inter Latina permulta maxime theologica et documenta ad Franciscanorum ordinem spectantia exhibet haec Graeca: 17) Ἰσοκράτου (sic) λόγος πρός Δημόνικον cum interpretamentis Latinis inter versus f. 147 ad 157, 20) septemdecim versus priores e Phocylidis carmine f. 277, 24) γνῶμαι μονόστιχοι (94) Menandri ordine litterarum dispositae f. 314, 25) fragmenta quaedam exigua epistolarum f. 317. Codicem, quem Coxe in catalogo codicum Graecorum Bodleianorum silentio praeteriit, me rogante feliciter investigavit et descripsit H. E. Butler, qui orationis Demoniceae particulas (§ 1/4, 34/35) in meum usum excussit. Unde librum hunc artissime cum codice Oxon. collegii novi 254 (cf. p. LIX) coniunctum inter libros gravissime contaminatos numerandum esse facile cognoscitur. Lectiones enim a codice Λ discrepantes, quae cum libro collegii novi congruunt, in particulis collatis (praeter librariorum errores nonnullos) hae sunt: § 1 ἅπας αἰὼν = Π, 2 πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας = ΓΠ, 4 τὴν ἐν τοῖς λόγοις δεινότητα (sic), δόξουσι = ΓΠ. 34 (ποιοῦ τὰ] τὰ om. solus), παρὰ μὲν τῶν θεῶν = ΓΠ, δὲ ἡμῶν αὐτῶν = ΓΠ, [παρρησιάζεσθαι = Π cod. coll. novi solus]. τινὶ τῶν φίλων (sic), (τε om. solus), 35 (ὅταν ⟨δὲ⟩ solus, βουλεύεσθαι solus), πρότερον et περὶ τῶν ἰδίων et ὑπὲρ τῶν ἀλλοτρίων = Π. Immo his libris, qui pluribus locis cum Π quam cum Λ conveniunt, memoriam codicis Π cum Λ contaminatam subesse opinari licet.

Wolfium, Stephanum in animadversionibus interdum laudavit Battie et varias ex iis lectiones commemoravit. Sed ex Aldina epistolarum multa perperam attulit, plura omnino non animadvertit, ut varietas illa ex animadversionibus Wolfii commode videatur repetita esse (cf. Matthaei, Isocratis epistolae p. XII). Translatio vero „nova“ Augero teste (vol. I p. VII) vestigiis Graecis propius quidem insistit quam Wolfiana, sed litterae omnino serviens sermonis Latini delicias et suavem verborum concentum — in Wolfiana laudandum — prorsus neglexit et aspernata est. Quae cum ita sint, editori haec sola laus superest, quod post Stephanum primus totum Isocratem retractavit, post Aldum primus codices aliquos Isocrateos inspexit. Nobis tamen haec editio inutilis (quae in bibliotheca universitatis Monacensis servatur), quam Corais mira cum religione consuluit, plane erat abicienda.

Iam post saeculum XVIII. medium, cum antiquitatis studia et in Germania et apud exteras gentes denuo efflorescerent, etiam Isocrates virorum doctorum animos magis in se convertit. Atque post Facciolatii Itali *„Monita Isocratis“* Patavii 1737 (iterum 1741, 1747, 1764) praeter ceteras celebranda est viri clarissimi Sam. Nathan. Mori Lipsiensis editio Panegyrici seorsum facta (Lipsiae 1766 in 8⁰), quae subsidiis omnibus tunc promptis et novis codicis Bavarici (Monacensis 224) lectionibus scite et caute adhibitis rectam orationis explicandae viam animadversionibus potissimum historicis ingressa est ita, ut saepius repetita (II. 1786, III. 1804 curata a C. C. Wendlero, IV. 1817 curata a F. A. Guilelmo Spohn, quintum retractata a Io. Georgio Baiter Lipsiae 1831) diligenti studio etiamnunc digna sit. — Inceptum non aeque feliciter cessit Findeiseni Euagorae (Lipsiae 1777), cum editor variis lectionibus colligendis et diiudicandis maiorem operam impenderit quam rebus explicandis: qua lectionum mole novis memoriae Isocrateae fontibus apertis nunc facile caremus. Uterque vir doctus etiam cetera Isocratis opera se editurum esse pollicitus erat, sed neuter promissis stetit, alter occupationibus, alter morte impeditus (cf. Langium p. 8 et 47).

Eadem tempestate C. F. Matthaei, universitatis tunc Mosquensis, postea Vitebergensis professor, — quem petulantis codicum Graecorum furti convicit O. de Gebhardt, Centralblatt f. Bibliothekswesen XV 1898 p. 345 sq. — de Isocrate bene meruit epistolis separatim editis ex codice Helmstadiensi, cuius collationem Reiskius suppeditaverat (Mosquae 1776). Etenim post epistolarum editionem

Aldinam primus librum manuscriptum — necessitudine quidem cum Aldina coniunctum — arcessivit, primus epistolam ad Archidamum loco decimo cum ceteris coniunxit. Textus vero ex Wolfii editione maiore assumptus e codice meliore correctiones raro accepit, quod apertissimum est in epistola ad Archidamum a Schotto e memoria diversa (codicis Γ) producta. Quae apud Matthaeium formam a codice Helmstadiensi plane differentem servavit, non quod editor memoriam illam praestantiorem esse cognorit, sed quia textum vulgatum tangere neque hic neque illic est ausus. Quin etiam epistolam spuriam loco nono retinuit, quamquam eam Theophylacto Simocattae tribuendam esse intellexerat (cf. p. 118 et 161).

Paucis annis post in Gallia totius Isocratis editio prodiit post Stephanianam honorifice appellanda, editionem dico Athanasii Augeri (voll. III in 8⁰, Parisiis 1782), qui iam anno ante oratorem in Gallicum sermonem converterat (III voll., Parisiis 1781). Qua in editione epistolae decem — neglecta tamen editione Matthaeiana — in fine voluminis primi p. 412 sq. post orationes ad Demon., ad Nicocl., Nicocl., Paneg., Philipp. leguntur, epistola ad Archidamum loco nono ante Theophylacteam posita. Laudanda est editoris industria, qua praeter Battieanos sedecim bibliothecae Parisiensis regiae codices (cf. supra p. XXVIII sq.) consuluit et lectiones varias selectas partim in annotationibus (sub textu), partim in appendice volumini tertio subiuncta (p. 402/26) collegit. Unicuique orationi et epistolae praemissa est analysis rhetorica cum coniectura de orationis tempore, de quo plerumque tamen editor mire erravit. Translatio Latina, quae e regione textus collocata est, ex Wolfiana et Battieana conflata est, „quae, quantum in me fuit, et priore accuratior foret et posteriore paulo amoenior . . . Caeterum semper exoptavi semperque exoptabo, ut apud nos et apud alias gentes Graecae linguae ita detur opera, ut ad eam intelligendam Latina versione non opus sit. Mihi enim ridiculum videtur et absurdum, linguam aliquam mortuam per mortuum sermonem explicari. Sed sermo Latinus, inquient, notior est. Sed de hoc ipso queror . . . Quidni litteris Graecis simul et Latinis pari diligentia imbuuntur adolescentum mentes, ut ex illo gemino fonte pari studio et facilitate petant, unde sermo ipsorum vernaculus ornatior evadat et locupletior?“ (p. VII). In textu autem constituendo Augerus id, quod pollicitus erat, non praestitit, quoniam coniecturis nimis audacter novatis verba Isocratis saepius corrupit quam emendavit (cf. Coraem p. οε′ de

amico defuncto „ἐὰν εἶχε τόσην εἴδεσιν τῆς Ἑλληνικῆς γλώσσης, ὅσην εἶχεν ἀρετὴν ὁ μακαρίτης Αὐγῆρος, ἡ ἔκδοσίς του ἔπρεπε νὰ ἔχῃ τὰ πρωτεῖα"). Acerbissimum vero Langii iudicium (p. 28/29) — „pro bonis mala introduxit, mala saepius retinens, ubi meliora e multis suis subsidiis revocanda erant. Nec locos difficiliores explicuit, multos silentio praeteriit, alios plus etiam corrupit, alios denique perperam exposuit" — iniquum videtur et ex editoris, qui sua de oratore merita palam exponere vellet (p. 32/35), mente praeoccupata fluxit. Nam Langii ratio critica plane aliena erat ab Augeriana neque tamen magis probanda, cum de editoris officio praedicaverit ipse: „Tantum vero abest, ut bonas lectiones malis mutare liceat, ut textum potius vulgatum, etsi corruptum, quam coniecturis nostris depravatum exhibere nostrum sit" (p. 24). Sane Augeri Isocrates perfectus non est, sed Stephanianum quidem superat, licet errori et in emendando et in explicando editor fuerit subiectus. „Δὲν λανθάνει κανένα, ὅτι αἱ ἐκδόσεις δὲν τελειοῦνται πλὴν μὲ τὴν πρόοδον τοῦ χρόνου" (Corais p. οζ').

Augeri vestigia premens saeculi XVIII. principio Wilhelmus Lange Halensis Isocratem tractavit (Halis Saxonum 1803), cuius editioni — dedicatae Frid. Aug. Wolfio — novis codicibus adhibitis opitulati sunt Ignatius Hardt bibliothecae Monacensis praefectus et C. F. Matthaei, codice Bavarico (Monac. 224: oratt. XIV) collato ille, codice Augustano (Monac. 495 orationis Demoniceae) excusso hic. Quorum librorum varietas cum lectionibus a Wolfio (ex codice Fuggerano), Battieo, Matthaeio, Augero collectis textui subiecta est, ubi editiones quoque priores (Mediolanensis, Aldina, Haganoensis, Basileensis prima, Wolfiana, Stephaniana) diligenter respectae et laudatae sunt. Praeter notas has maxime ad rem criticicam, raro ad explicationem spectantes, siquidem „res aliqua ex alio auctoris loco lucem accipiebat" (p. 21), summarium orationis addi solet, quod licet breve sit interpretationis loco etiam seriem et nexum orationis indicat. Translatio integra et introductiones in singulas orationes scriptae cum plenissimo commentario historico, quas editor volumini alteri reservatas promiserat, in lucem non prodierunt. Editoris in praesidiis colligendis diligentia et religio summopere est laudanda, eiusdem de textu emendando merita prorsus exigua sunt, quoniam Augero adversatus in verbis ad id tempus corruptissimis librorum vulgatorum scripturae nimis anxie adhaesit et lectiones ineptas explicatione audaci defendit. Nimirum Langius — sic iudicat Bremius (p. XI) —

„quum hanc editionem curaret, iuvenis (erat) non indoctus quidem, at neque critico acumine nec grammatica subtilitate insignis, nec Graecae dictionis apprime gnarus. Accedit quod tota opera tumultuaria potius sit quam matura, ut non difficile fuerit eam superare.“ Festinatio autem editoris, de qua ipse Augerum acerbe accusavit, facile perspicitur in orationibus prioribus tribus (paraeneticis), ubi operae consilium id fuit, ut in notis lectiones a Wolfiana et ceteris editionibus discrepantes nudis verbis ponerentur, cum in posterioribus rationes criticae additae sint; de quibus ad orationes priores in Addendis et Corrigendis praefationi subiectis (p. 51/84) rettulit. Atque inde a Philippo demum orationes in capita (numeris notata) divisa sunt, quae Augeri paene usum sequuntur, cum admonitiones et Panegyricus uno tenore currant. — Editionem Langianam in meum usum cum Bekkeriana accuratissime contulit iuvenis bonae spei plenus Christianus Lehmann.

Langium subsecutus est Adamantius Corais vir celeberrimus, qui populi Graeci proximo saeculo causam egregie defendit lingua hodierna litteris sagacissime accommodata. Qui in Ἑλληνικῆς βιβλιοθήκης voll. I. et II. (Parisiis 1807) adolescentibus Graecis illius aetis studiosis Isocratem proposuit imitandum, „ὅτι πρῶτος ὁ Ἰσοκράτης ἔστησε τρόπον τινὰ τὰ ὅρια τῆς γλώσσης, καὶ ἐκύρωσε μὲ τὸ παράδειγμά του τὴν καταλληλίαν τῆς γραμματικῆς συντάξεως, ... ὥστ' ἀπὸ μόνον αὐτὸν εἶναι δυνατὸν νὰ συνθέσῃ τις γραμματικὴν μέθοδον ὁλόκληρον, χωρὶς τοῦ νὰ ἔχῃ χρείαν ἄλλων παραδειγμάτων“ (pag. ϙβ'). Ac de sobrii editoris munere et officio cum optime disserentem audias: „Εἷς μόνος μήτε δύναμιν μήτε καιρὸν ἀρκετὸν ἔχει νὰ διορθώσῃ ὅλα τὰ σφάλματα· ἱκανὸν εἶναι εἰς αὐτὸν νὰ κάμῃ τὴν ἔκδοσίν του τοιαύτην, ὁποία νὰ δώσῃ εἰς τοὺς μεταγενεστέρους τὰ μέσῃ νὰ τὴν φέρωσιν εἰς περισσοτέραν τελειότητα. Καθὼς ὅλα τὰ καλὰ, οἱ καλοὶ ἐκδόται εἶναι πρᾶγμα πολλὰ σπάνιον· μέγα μέρος αὐτῶν διαιρεῖται εἰς δύο παντάπασιν ἐναντία εἴδη. Τὸ πρῶτον εἶναι τῶν τολμηροτάτων ἐκείνων, ὅσοι διορθόνουσι καὶ τὰ μηδεμίαν ἔχοντα χρείαν διορθώσεως· εἰς τὸ δεύτερον περιέχονται ὅσοι δεισιδαιμόνως ἀφίνουσιν εἰς τὸ κείμενον καὶ τὰς πλέον ἀνοήτους καὶ βαρβάρους τῶν ἀντιγραφέων γραφάς. Τίνες εἶναι τούτων οἱ χειρότεροι δὲν ἐξεύρω“ (pag. π'). Ipse non solum ex ingenii alacritate et Graeci sermonis cognitione intima plurimas textus corrupti correctiones certissimas invenit, quae Urbinatis memoria postea confirmatae sunt, — aliae quidem non sunt probandae —, sed etiam codicis Vaticani 65 (Λ) a Gallis tunc Parisios asportati ope adiutus oratoris verba multo quam prioribus

cesserat emendatiores divulgavit. Ex eodem libro scholia antiqua et recentiora primus descripsit, quantum quidem scripturae perplexae legere ei contigit (vol. I p. 440/48). Orationum capita secundum Langium divisa et numeris notata sunt, admonitionibus quoque et Panegyrico in capita dispertitis. Denique post Wolfium primus plenum in Isocratis opera omnia commentarium et criticum et exegeticum elucubravit, qui ad partem criticam quidem Urbinate invento obsolevit, ad res tamen — quantumvis rudis — etiamnunc cum fructu consuletur, quoniam totius Isocratis interpres post Coraem exstitit nullus. Nonne mirandum est, quod sedula philologorum noviciorum industria, quae quidem minutissimas antiquitatis res et scriptores vilissimos copiosissime tractavit, hoc tantum negotium detrectavit? At quid quereris inquient, qui oratorem enarrandum possis sumere tibi? Utinam duplices, hercle, mihi essent vires! Sed post Isocratem maior me postulat Demosthenes, ipse quoque critice tractandus. —

Editionum Isocratearum aetas prima, quae usque ad Wolfii Stephanique asseclas currit, in editionibus principibus quasi fundamento solo institerat, secunda inde a Battieana usque ad Coraisianam praesidia ex codicibus nova neque tamen idonea quaesiverat. Novam aetatem tertiam praeparavit felix Andreae Mustoxydis iuvenis industrii inventum, quo Antidosis ad id tempus in editionibus omnibus — e codicis Λ memoria — manca ex codice Ambrosiano O 144 (= Є) integra demum evasit anno 1812 (Mediolani). Iam ad viros doctos notitia de codice aliquo Nicolai Sophiani venerat, qui orationem Isocrateam — Panathenaicum existimabant — ceteris libris ampliorem contineret: de quo Augerus vol. II p. 620, quem tacite exscripsit Langius p. 84, Scaligeri haec verba rettulit: „Codicem, inquit Iosephus Scaliger, in sua CDXXXI epistola ad Gruterum, idem Nicolaus Sophianus habebat qui Panathenaicum tribus foliis auctiorem continebat quam qui hodie in manibus nostris versatur. Praesens aderat Henricus Stephanus. Impressum illi Panegyricum (immo Panathenaicum) Sophianus ostendit; locum a quo absunt illa folia interpretari iubet. Quem quum diligenter is perpendisset, palam se non intellegere professus est, quum tamen antea suspectus ei non fuisset. Postea, explicato codice Graeco, indicavit quantum in vulgatis editionibus deesset. An ille codex nunc in bibliotheca exstet, magni fecerim scire; et si ita est cum vulgatis Salmasius conferre poterit . . . Aliquando ex ipso Stephano audivi, propter hanc lacunam se editione Isocratis deterritum fuisse.“ Addit Augerus haec: „Attamen

aliquot annis post editionem suam publicam fecit Henricus Stephanus, omninoque tacuit de codice Sophiani et de eo Panathenaici loco, ubi sensus interruptus lacunam prodit et quidem longiorem. Victorius in suis commentariis in rhetoricos Aristotelis libros (Florentiae, ex offic. Iunctarum 1579 p. 718), narrat se accepisse ab Angelo Iustiniano episcopo, ac Ioanne Vincentio Pinello, Michaelem Sophianum Graecum hominem, amicum utriusque horum, et suum non parvum, nactum fuisse vetus exemplar Isocratis, in quo et quae divulgatae sunt diserti scriptoris orationes leguntur, et praeterea fragmentum quoddam alicuius quae adhuc in occulto latet.“ Item Wolfius in Isocratis editione Basileensi (1570 II p. 805) Nicolai Sophiani mentionem fecit: „Nam Sophiani quidem Isocratem et correctiorem et auctiorem multos iam annos frustra expectamus, atque adeo verendum ne una cum domino suo vetus ille codex interciderit.“ Quem librum Sophiani eundem fuisse atque Ambrosianum Ε, quem Michael Sophianus possidebat olim, Stephanum vero memoria falsum esse summa cum probabilitate iam orationis de permutatione „anonymus interpres“ (p. 118 n. et 135/36) statuit: idem ex verbis in codice Ε a corr. 3 — manu fortasse Sophiani — sub calce annotatis colligitur f. 206b: σημείωσαι ὅτι ἐν ἅπασιν οἷς ἐγὼ ἐνέτυχον ἀντιγράφοις ἐλλειπῶς ἔχει ὁ περὶ τῆς ἀντιδόσεως λόγος. Additamentum idem quod in cod. Ε legitur Bandinius in bibliothecae Laurentianae catalogo vol. III 1770 p. 395 ex codice LXXXVII 14 (Θ) designaverat, specimine longiore exscripto, „ut unusquisque investigare possit, ex qua Isocratis oratione desumpta fuerint, quae hoc loco leguntur inserta, quod nobis adhuc adsequi minime datum est.“

Atque Mustoxydis, qui librorum Vaticanorum duorum (Γ et Δ) lectiones ad Antidosim pertinentes frustra petiverat, in codice Ambrosiano Ε haud ita diligenter quidem describendo acquievit, cuius textui in calce codicis Laurentiani LXXXVII 14 (= Θ, a Mustoxyde vero notati Λ) et editionis Coraisianae lectiones subiecit, addita in praefatione disquisitione idonea de orationis expletae fide defendenda. Qua in praefatione Coraem virum celeberrimum hortatus est, ut orationem convertendam et explicandam curaret. Hoc munere celerius tamen functi sunt alii, cum iam anno post (Mediolani 1813) translationem Latinam praestiterit Anonymus Interpres, cuius nomen religiose celatum (cf. Orellium p. 448 sq.) postea prodiit: Angeli Mai dico, bibliothecae tunc Ambrosianae, dein Vaticanae custodis et bibliothecarii cardinalis. Qui Augeri translationem „satis expolitam“ in parte cognita secutus

partis novae interpretationem accuratam ad exemplar manuscriptum exegit et textum editum non solum ex codice et ex ingenio saepius correxit, sed etiam notulis additis explanavit. Appositae sunt appendices de Isocratis epistolis et de locis quibusdam orationum Aegineticae et Panathenaicae. — Proximo iam anno docta totius orationis enarratio in lucem emissa est auctore Ioanne Casparo de Orelli (Zürich 1814), qui in editione illa post epistolas nonnullas philologicas argumenti varii (p. 321/447) ad Isocratem regressus anonymi interpretis operam tunc demum cognitam exhausit (p. 447/60). Atque de orationis expletae memoria Isocrati vindicanda in praefatione argumenta attulit nova et novam orationis recensionem 270 fere locis mutatam instituit, qua vel codicis Θ lectiones discrepantes vel coniecturas proprias nonnunquam aptas introduxit, denique in annotationibus uberrimis (p. 203/320) recensionem suam diserte defendit et locos difficiliores explanavit. Maxime vero memorandum est, iam Orellium codicis Ambrosiani in Isocrate praestantiam recte perspexisse et exoptavisse, ut Mustoxydis totius codicis copiam viris doctis faceret. Quae laus in ipsum Angelum Mai cadit, qui in editionis fine haec asseruit: „Caeterum optimis lectionibus codex Ambrosianus abundat, multosque in eo locos Isocratis vel corruptos sanari vel meliores exhiberi vidi. Sed tam amplam collationem instituendi otium mihi in praesenti non suppetit."

Nunc Immanuelis Bekkeri, strenui codicum manuscriptorum investigatoris, nomen in litteris Graecis praeclarissimum merito nobis celebrandum est, qui bibliothecas Galliae et Italiae per complures annos perscrutatus cum alia cimelia permulta tum Isocratis codicem pretiosissimum Urbinatem Γ e tenebris bibliothecae Vaticanae protraxit et ad oratoris verba emendanda totum excussit. Praeter Urbinatem autem inspexit codicem Vatic. 936 (Δ) in Euagora, Helena, c. sophist., Antidosi, codicem Vatic. 65 (Λ) in Callimachea et in Amartyro, codicem Laurent. LXXXVII 14 (Θ) in Archidamo, codicem Marc. 415 (Ξ) in Aeginetico. Quibus subsidiis innisus in Oratorum Atticorum vol. II Isocratem edidit Oxonii 1823, quem eodem anno repetivit Ge. Reimerus in Oratorum Atticorum editione Berolinensi vol. II (de cuius furto videas Reimerum in voluminis III praefatione). Atque Reimerus se ad editoris consilium dudum cognitum ea, quae Oxonienses in oratoribus imprimendis invito editore mutaverant, correcturum esse promisit, quo videtur factum esse, ut editiones Oxoniensis et Berolinensis in Isocrate differant

et codicum siglis (Latinis in Oxoniensi: G, D, L, T, X, Graecis in Berolinensi: ΓΔΛΘΞ) et orationum sectionibus, quae in Oxoniensi plures sunt quam in Berolinensi e. g. in Antidosi: O. §§ 347 = B. §§ 323, Panath.: O. 299 = B. 272, Paneg.: O. 225 = B. 189, ad Demon.: O. 54 = B. 52 etc. Editio Berolinensis tamen, quae quidem apparatum criticum in commodiorem formam redegit, erroribus typographicis inquinata est, ut in ea adhibenda cautione opus sit. Nihilominus editio haec in Germania virorum doctorum manibus sola fere teritur, quia multo minoris quam Oxoniensis venum datur. Atque secundum Berolinensis sectiones Isocratis verba nunc laudari solent, qua de causa accuratius editio illa mihi consideranda erat quam Oxoniensis. Bekkeri autem praedicanda est prudens audacia, qua antiquissimi codicis bonitate perspecta memoriam vulgatam per saecula servatam plane abiecit, ut novum paene exhibuerit Isocratem quinque milibus circiter locis — si Benselero fides est (ed. 1851 praefat.) — ex illo libro correctis. At vero editor iudicio parum constans vulgatam saepius retinuit Urbinati duci diffisus. Quibus locis acrius perpensis Bekkerum non ex subtili oratoris cognitione, sed ex libro antiquissimo ne diligenter quidem excusso, in quem fausta fortuna ductus inciderat, recensionem aliquatenus tumultuariam instituisse cognoscitur: ex ingenio suo ad oratorem emendandum perpauca attulit, Wolfio et Corai prorsus dissimilis, qui de suo, non ex libro aliquo tot maculas in oratore deleverunt, licet memoriae optimae auxilio destituti plures etiam relinquere coacti sint. Gravius etiam Bekkerus in eo est accusandus, quod editione Coraisiana ut videtur sola usus, quam vulgatam appellavit („quatenus ex libris manuscriptis ducta est"), editorum priorum lucubrationes oblivioni fere dedit, ut ante Bekkerum in Isocrate vix quidquam bene excogitatum esse posterioribus iniuria visum sit. Quid quod ne Mustoxydis quidem aut Angeli Mai curas ipsas ascivit et ex Orellio cognovisse satis habuit! „Quare haud raro vel in codicibus videtur esse, quod Orellius coniectura invenit, vel Bekkeri coniectura inventum esse, quod Orellius sive ex Θ receperat sive ipse coniecerat" (Baiterus et Sauppius in edit. Turic. p. VI).

Bekkeri editiones viros doctos ad oratorum Atticorum studia altius persequenda vehementer commoverunt, inter quos Isocratis respectu praeter ceteros nominandi sunt Guilielmus Dindorf, Georgius Baiter, Hermannus Sauppe, Josephus G. Strange, Eduardus Benseler. Atque Bekkerum proxime secutus Dindorfius textum Isocrateum

capitibus vel sectionibus non distinctum — quem a Strangio laudatum esse molestissimum est — apud Teubnerum (1825) exscripsit (cum editionis Berolinensis mendis typographicis plerisque), praefatiuncula praemissa, in qua pauca feliciter correxit. Maioris pretii est Dindorfii editio Panegyrici anno post „cum Mori suisque annotationibus“ seorsum emissa (1826), de qua praedicavit ipse: „Mori de historico genere annotationes laudabili scriptas diligentia servavi maximam partem, funditus sustuli congestam ab illo lectionis varietatem quum veterum editionum tum librorum quorum tum copia fuit scriptorum. Namque codicis Vaticani Urbinatis, quem ad emendanda Isocratis scripta adhibuit Bekkerus, tam eximias virtutes esse videbam, ut aliorum ope librorum nisi perpaucis in locis non indigerem.“ Memoria vulgata „h. e. Coraes“ laudatur secundum Bekkerum.

Paulo post cum Bekkero certamen infaustum iniit Gulielmus Stephanus Dobson vir Britannus oratoribus Atticis simul editis (1828), quorum volumine III Isocratem exhibuit ad normam maxime Bekkerianam, nisi quod verborum collocationem ex vulgata memoria saepius servavit. In libro hoc vastissimo cum Wolfii praefatione, Stephani diatribis, veterum ex Corae iudiciis textui praemissa sunt Petri Pauli Dobree adversaria ad Bekkeri Isocratem anno 1823 editum summo cum acumine conscripta, quae cum reliquis Dobraei adversariis tribus annis post in lucem edidit Scholefield (I 1831 p. 262/85). Textui subiecta est praeter priorum annotationes brevissimas varia lectio editionum Augeri, Langii, Corais non ea qua par erat diligentia exscripta, quae tamen nonnihil usui mihi fuit. Sequuntur et scholia codicis Λ e Corae deprompta et lectionum variantium rudis indigestaque moles ex prioribus omnibus (etiam ex Bekkeri codicibus) ad paginas editionis Stephanianae raptim collecta (p. 789/841) et indices (graecitatis Isocrateae) Langii, (ad Panegyricum) Spohnii, historicus et in extremo geographicus e priorum curis concinnati. Interpretatio Latina Wolfii cum Isaei, Dinarchi, Lycurgi, Demadis, sophistarum translatione in vol. XIV exstat. Atque „tres potissimum“ secundum Dobsonium „editores recentiores nactus est Isocrates, Augerum scilicet, Langium et Coraem: quorum, mea saltim opinione, Coraes longe optimus. Verum enimvero, eo quod post tempora Corais plures atque praestantiores MSS. sunt collati eorumque lectiones variantes hinc illinc congestae . . .“ De Bekkero ne verbo quidem in hac operis plane supervacanei praefatione mentionem habuit editor inhonestissimus, qui maxima ex parte sua ab illo tacitus mutuatus erat.

Eadem prope res opprobrio est Joanni Henrico Bremi, qui in edendo Isocrate (1831: pars I sola) Corais de Isocrate meritis egregie laudatis „ita ut cum H. Wolfio primas tulisse censendus sit,“ Bekkeri curas operi suo subesse nudis verbis pronuntiavit; qui Georgium Baiterum operam sibi navasse utilissimam professus (p. XII) ab ipso Baitero „Excursus XI ad Isocratis orationes“ (p. 195/220) eruditione grammatica et critica refertos (vel omnes vel singulos) compositos esse plane supersedit memorare: qua de re videas Baiterum ad Paneg. p. VIII, 6, 40, 66, 73 et Sauppium in Jahnii annalibus VI 1832 p. 53/54. Ceterum Bremii editio praeter Baiteri coniectanea inter deteriores numeratur, quamvis editor in Orellii locum succedens, qui se promisso Isocratis edendi stare non posse fidem dederat, per vitam in Isocrate semper se versatum esse gloriatus sit.

Sub idem tempus (1831) Baiterus Panegyrici explicationem a Moro olim inchoatam optime retractavit, quod quinque annis ante minore cum successu tentaverat Dindorfius. Atque in rebus historicis Mori commentarium sagaciter auxit, in rebus criticis autem post Bekkerum haud pauca recte innovavit, codicis Ambrosiani Ε lectionibus adiutus, quarum ope Bekkeri in Urbinate excutiendo errata expulit. Cuius libri lectiones in Archidamo, de pace, Trapezitico quoque prudenter in praefatione recensuit adiectis copiis quas vocavit Victorianis ex libro Monacensi descriptis (de quibus videas supra p. XLVII) et codicis Scaphusiani Z in oratione ad Demonicum varietate. Isocratis vita (cum orationum XVII. VII. XV. XI. XII. XIII. VIII. argumentis) a Mustoxyde e duobus codicibus Laurentianis divulgata (Συλλογη αποσπασματων ανεκδοτων Ελληνικων μετα σημειωσεων σπουδη Ανδρεου Μουστοξυδου και Δημητριου Σχινα, Venetiis 1817 particula IV p. 9/16), quam Dindorfius iam editioni Teubnerianae (1825 p. VIII/XIV) praefixerat, textui praemissa est cum Mori Spohniique dissertationibus.

Cum Baitero prospere certavit Strangius, qui inde ab anno 1830 totum Isocratem diligentissime pertractans id potissimum egit, ut lectiones variantes a Bekkero nude prolatas ex oratoris usu loquendi diiudicaret. Cuius viri docti lucubrationes amplissimae — cf. N. Archiv für Philol. (Seebodii) V 1830, oratio ad Demonicum edita 1831, Kritische Bemerkungen zu den Reden des Isokrates 1831, Archiv für Philol. (Jahrbücher für Philol. Supplem.) II. III. IV. V. annorum 1833/37 —, quae novam paene Isocratis recensionem faciunt, ab editoribus Turicensibus propter insignem industriam et singularem

oratoris cognitionem merito laudatae sunt, recentiorum criticorum autem, maxime Blassii, incuria in oblivionem fere inciderunt.

Cum Baitero vero simul nominandus est Sauppius, qui in Isocrate cum fructu primum desudavit anno 1832, cum in Jahnii annalibus VI 1832 p. 45/77 Bremii, Baiteri, Strangii curas enarrans de multis locis Isocrateis egregie disputaret. Baiterus enim et Sauppius, qui coniuncti iam anno 1834 (Turici) Lycurgum explanaverant, communi studio in Isocratem incubuerunt in edenda Oratorum Atticorum parte priore (Turici 1839, quam ob rem editores Turicenses vulgo vocantur), in qua „messorum vestigia" secuti, Wolfii scilicet, Corais, Bekkeri, „spicilegium" non frustra fecerunt. Usi sunt praeter copias Baiterianas (in editione Panegyrici) integra codicis Ambrosiani Ε collatione a Baitero parata; usi sunt rhetorum et grammaticorum locis ex Isocrate allatis, quorum fide pauca quaedam vel ipsi emendaverunt vel a viris doctis sagaciter inventa confirmaverunt; usi sunt plenissimo indice Graecitatis Isocrateae a Baitero olim condito, quem nuperrime perpolivit et in lucem emisit Preussius: de quo plura exposui in praefatiunculae p. III. At studiorum et praesidiorum praetereuntes tantum mentionem fecerunt in apparatu brevi et conciso, in quem praeter locos ab editione Bekkeriana discrepantes (circiter ducentos) paucissimas rettulerunt sive codicum lectiones sive coniecturas sive animadversiones criticas ex locis similibus praecipue et Isocratis et aliorum scriptorum petitas. Ea autem editorum lex fuit, ut Urbinatem etiam constantius Bekkero sequerentur, quo facto, cum caute tamen et insigni cum oratoris studio rem egerint, editionem Turicensem ceteris omnibus praestantiorem reddiderunt. Haec mea sententia bene velim teneatur animo, quoniam editorum modestia et in copiis expandendis et in meritis suis praedicandis in deterius facile trahi potest et re vera tracta est. Primi quoque Turicenses illi epistolam Theophylacteam ex Isocrate auferre ausi sunt, postquam priores eam subditiciam significare satis habuerunt. Oratoris vita et orationum argumenta cum iis, quae Mustoxydis primus ediderat, emendata et expressa sunt in vol. II (1845) p. 3/8, scholia codicis Λ ex editione Corais ibidem p. 8/11, Isocratis fragmenta a Sauppio collecta ibidem (1850) p. 224/27. Index nominum utilissimus ad omnes oratores Atticos in tertio voluminis alterius fasciculo exstat.

Baiterus solus denique novam Isocratis recensionem exhibuit in usum fratrum Firmin Didot (Parisiis 1846: in Caroli Muelleri

editione Oratorum Atticorum 1846/48), in qua post editionem Turicensem perpauca novavit. Translationem Latinam, quae in editione Didotiana addenda fuerat, ita concinnavit, ut interpretationem Wolfianam ad normam codicis Γ refingeret et suppleret, E. A. I. Ahrens Coburgensis, errore quodam — celeberrimi grammatici loco, cui idem cognomen erat — ad hoc munus ascitus. Quam vero bene Sauppius postea de Isocrate meruerit solus et in epistola critica ad Godofredum Hermannum data (1841) et in aliis commentationibus (collectis nunc in Sauppii „Ausgewählte Schriften" 1896) huius loci non est praedicare.

Ex Bekkeri asseclis ultimus laudandus est Benselerus, qui nonnulla Isocratis opera iam annis 1829/31 in linguam Germanicam convertit (Prenzlaviae in quattuor fasciculis: 1) Paneg., 2) Philipp. et Plataic., 3) Archid. et de pace, 4) Areop. et Panath.). Hoc eius inceptum totius Isocratis interpretatio Germanica paucis annis post ab Adolpho Henrico Christian emissa (Stuttgart, fasciculi VIII 1832/36) longe superavit. Editionem textus Benselerus primum administravit anno 1832 (Lipsiae), cum orationis Areopagiticae explanationem a Ioanne Theodoro Bergmann curatam (Lugduni Batavorum 1819: cum collatione codicis Lugdun.-Batavi) diligentissime iteraret annotationibus priorum suisque notis uberrimis appositis. Subinde Euagoram edidit in usum scholarum commentariis illustratum (Lipsiae 1834). Atque eximia laude digna est industria Benseleri, qui Strangium aemulatus iam in commentario ad Areopagiticum oratoris sibi constantissimi consuetudinem penitus examinatam descripsit, ut in lectionis varietate pendenda normam constitueret certiorem, quam quae ex optimi codicis memoria in promptu esset. Qua via tamen contra Strangium et Baiterum, qui ex oratoris usu Urbinatis maxime memoriam defenderunt, eo delatus est, ut haud raro ab Urbinatis lectione regressus vulgatam restitueret, hanc legem secutus: „sequere Isocratis usum dicendi, etiam ubi ex Urbinate aliud quid commendatur." Sed norma haec quam fallax sit Benselerus ipse luculente docuit de hiatu inquirens (ad Areopag. p. 385/416, de hiatu 1841): de quo accuratius disserui supra p. LXXIV. Neque ex aequabilitatis studio neque ex locis similibus neque ex dictionum aliquarum usu constanti unoquoque loco correctiones utique certae elici potuerunt: nam utrum quid insolentius audere vellet orator necne, in ipsius voluntate positum fuisse quivis concedet. Adde quod in recensione vulgata memoriae exaequandae et levigandae studium

haud raro eminet, quo vitio codex Urbinas liber est (cf. p. LXXIX). Quae cum ita sint, Benseleri aliorumque disquisitiones, quae ad oratoris elocutionem cognoscendam sane maximi momenti et ponderis sunt, ad memoriam eius corrigendam magna cum cautione adhibendas esse apparet. Omninoque Baiteri normam praeferendam esse mihi persuasi: „sequere Urbinatem, etiam ubi ex consuetudine Isocratis aliud quid commendari videtur", nisi quando aperte deprehenditur Urbinatis corruptela. Quocirca totius Isocratis recensionem, quam Benselerus suam opinionem secutus sine novis praesidiis anno 1851 Lipsiae (apud Teubnerum) perfecit, oratoris memoriam deteriore loco reliquisse censeo, quam quo Turicenses eam constituerant. Quin etiam de codicis Scaphusiani Z in oratione ad Demonicum, de exempli Dionysii in oratione Trapezitica auctoritate vehementer erravit editor, qui rationes suas in praefatione exposuit lectionibus emendandis in capita septem — apparatus critici loco — congestis. Orationum argumenta et ex codicibus et a Wolfio assumpta coacta sunt post praefationem. Epistola Theophylactea cum Baitero (apud Didotium) reducta est. Laudandus est nominum index accuratus, qui res quoque breviter descripsit. — Sed cum Benseleri de textu constituendo sententiam non amplectar, magnopere eum ipsum extollo de orationibus nonnullis paulo post analysi rhetorica, interpretatione Germanica nova, commentario uberrimo illustratis (Lipsiae 1854 voll. II: 1) Paneg., Philipp.; 2) Plataic., Archid., de pace). Textui, qui nonnunquam ex memoria codicum correctus est, additae sunt lectiones codicum meliorum (codicis Ambrosiani Є ex collatione Baiteri) et editionum post Bekkerum in lectionibus his diiudicandis auctoritas. In commentario explicationes priorum omnium diligentissime congregatae et sagacissime perpensae sunt.

Post Benselerum unus Fridericus Blass Isocrati toti studium impendit editione Benseleri stereotypa refícta (Lipsiae 1878/79), in qua locos trecentos fere mutavit curis criticis innisus, quas post Benselerum cum alii viri docti tum Cobetus, Kayserus, Rauchensteinius, Fuhrius in Isocratem contulerant. Priorum apud Blassium ratio fere nulla habetur. Nova codicum subsidia paucissima ab aliis mutuatus est, quae sunt codicis Γ varietas gravissima a Bekkero e schedis suis anno 1861 collecta, eiusdem libri lectiones ex epistolis ab Herchero, ex oratione de bigis a C. F. Leo denuo excussae, codex Θ in Areopagitico a Cobeto collatus (apud Hirschigium), Dionysii lectiones a Fuhrio recensitae. Commentarius criticus textui praemissus in

commodiorem quidem formam quam apud Benselerum habuerat redactus, parum diligenter tamen confectus est, ut ii qui Blassio soli confisi ad artem criticam factitandam accesserunt, de codicum memoria prioribus iam cognita haud raro decepti sint. Ratio critica eadem fere est atque Benseleri, quem Blassius tamen „non semper elegantiae scriptoris satis consuluisse neque satis codicibus vel bonis vel malis satis diffisum esse“ pronuntiavit. Replevit igitur apparatum criticum suis coniecturis, quarum tamen longe maxima pars improbanda est. Quid quod eius commenta haud raro tam audacia sunt, ut sobrii critici bilem vehementer moveant? Res ad orthographiam pertinentes in volumine altero demum ad inscriptionum Atticarum usum, sed mira cum inconstantia accommodatae sunt. Quare Blassium inter saeculi XIX. editores, qui Bekkerum insecuti sunt, inferiorem locum obtinere statuo.

Inde a medio saeculo proximo viri edocti narrandis oratoris verbis feliciore cum fortuna vacaverunt quam emendandis. Etenim eodem fere quo Benselerus tempore rerum potissimum explicandarum provinciam suscepit Rauchensteinius (Paneg., Areop.: 1849), verbis difficilioribus et dicendi generi illustrandis paulo post magis operam dedit Schneiderus (voll. II: 1) ad Demon., Euagor., Areopag. 1859; 2) Paneg., Philipp. 1860). Quorum virorum lucubrationes ex temporibus retractatae, illius quintum a Reinhardtio (1882), huius tertium a filio Maximiliano (1888/86), studiosis omnibus etiamnunc dignae sunt quae commendentur. Ne criticae quidem rationes ab editoribus illis neglectae sunt, quorum novissimus Maxim. Schneider studia et Martinii et Buermanni et Keilii in suum usum prospere iam convertit. — Foris prodierunt: apud *Batavos* Mehleri explicatio Panegyrici et Areopagitici (1861), quae editione Turicensi innixa haud paucas coniecturas et Cobeti et ipsius in Isocratem intulit, postea Versmeetenii editio critica et exegetica orationis ad Nicoclem (1890), in qua fundamenti loco adhibitae sunt collationes codicis Urbinatis a T. Halbertsma (anno 1859), codicis Ambrosiani ab A. Cinquinio Mediolanensi confectae; apud *Gallos* orationis de permutatione interpretatio Gallica a Carteliero ad finem primum perducta et cum praefatione locupletissima et annotationibus doctissimis in lucem emissa ab Havetio (1862); apud *Anglos* I. Edwini Sandysii explanatio orationum ad Demonicum et Panegyrici (1868) haud infimo loco digna. — Laudandi sunt etiam Hercherus, qui in Epistolographis Graecis (Parisiis 1873) Isocratis epistolas e codice

Urbinate denuo excusso correctiores edidit, et Keilius, qui Panegyricum (1890) in usum scholarum tractans (cum notulis criticis) codicis Urbinatis (a Martinio collati) memoriam arte amplexus est, nisi quod in ea glossemata plura delenda esse censuit. Keilii vero textum ad verbum fere reddidit Meskius (Isokrates' Panegyrikos, Meisterwerke der Griechen und Römer in kommentierten Ausgaben, Leipzig 1903 Teubner), cuius opera gymnasiorum alumnis destinata doctiores nihil sunt lucrati.

Verbo tantum commemorabo orationum singularum editiones aut translationes cum annotationibus, quae inde ab anno 1875 circiter foris in usum scholarum factae intellegentes non adiuvant: de prioribus Engelmanni curas adeas. Atque apud *Italos*, qui Isocratem nunc maxime videntur in deliciis habere, prodierunt orationes selectae edentibus F.X. Schettini (X. XI. XII. XIV. XVIII.) 1875, 1881, G. Müller (XIV. XVII.) 1885; ad Demonicum edd. A. Orsini 1875, P. Petrini 1876, I. Bassi 1899; ad Nicoclem ed. A. Ceruti 1877; Panegyricus edd. G. Setti 1886, A. Cinquini 1887, G. Roberti 1888, E. Turchi 1890; Plataicus ed. G. de Spuches 1881; Archidamus ed. Enea Silvio Piccolomini 1865; de pace edd. P. Pratesi 1888, C. Tincani 1890; Areopagiticus ed. Ign. Bassi 1897; epistolae I. et VII. ed. Angelo M. Napolitano 1874 (Lipsiae apud Teubnerum); apud *Gallos*: ad Demonicum ed. L. Quicherat 1890; Euagoras ed. E. Sommer 1871, 1874, 1887; Panegyricus edd. E. Sommer 1874, 1897, P. Lucas 1876, M. Grenouille 1880, E. Talbot 1881; Archidamus ed. M. C. Leprévost 1874; apud *Anglos*: de bigis ed. W. I. Woodhouse 1900; Euagoras ed. H. Clarke 1891; Panegyricus edd. G. Wilkins 1882, I. Rice 1882, 1898, I. H. Freese 1900; apud *Graecos*: Panegyricus ed. B. Γ. Βυθούλκα 1886. Quae editiones ex parte recensitae sunt in annua libellorum ad Isocratem spectantium enumeratione per Blassium, Iacobium, Albrechtium. De viris doctis illis, qui in editionibus et commentationibus lingua Slavica utuntur, invitus taceo, quoniam intellegendi facultatem aliis eripiunt ipsi.

Iam explicaturus quam rationem ipse in Isocrate edendo secutus sim, primum quidem declarem codicum omnium, quot sui iuris esse perspexi (*Γ* [*Δ*], *Θ Λ Π*, *Σ Υ Φ*), et papyrorum varietatem plenam exhibere me voluisse, ut memoriae Isocrateae conditio plane ac penitus

cognosceretur: solius autem codicis Π, qui cum Λ arta necessitudine coniunctus est, in iis tantum orationibus, a quibus codicis Θ memoria vulgata abest (ad Demon., ad Nicocl., Nicocl., de pace), rationem habui. Atque codicum et testimoniorum lectiones in apparatum criticum secundum textus mei versus numeratum diligenter rettuli praeter illas, quae cum ad res orthographicas (ad ν quod vocatur paragogicum, ad vocalium elisionem, iotacismum, accentus, spiritus etc.) aut ad apertissimos librariorum errores referantur, videntur levissimae esse. Has, ne commentarius ineptiis librariorum in codicibus perspicuis quasi obrueretur, in appendicem criticam relegavi; eidemque virorum doctorum coniecturas inserui, nisi forte veritatis speciem prae se ferre videbantur aut in apparatu commodissime afferri poterant. Accentus tamen et spiritus, qui in optimo libro persaepe negleguntur, notabiliores tantum enotavi, id quod etiam ad iota adscriptum vel subscriptum pertinet in apparatu hic illic omissum. Atque testimoniorum lectiones paucas vilissimas, quae neque ad memoriam Isocrateam neque ad codicum auctoritatem accuratius cognoscendam ullius pretii sunt, prorsus abieci (e. g. ν quod dicitur paragogicum varians). De reliqua autem varietate omni et codicum et testium, qui quidem memoriam Isocrateam ad verbum laudaverunt, ex apparatus et appendicis silentio velim conicias. Ex papyris soli Berolinensis prior et Amherstianus optime conservati codicum instar habendi sunt; mutilatorum lectiones notabiles omnes, etiamsi cum textu conveniunt, in apparatu significandae erant.

Testimonia et in textus margine et sub textu addita esse animadvertes. In margine praeter ipsius Isocratis locos fere geminos, quos aliis compleri posse libentissime concedo, eiusdem aetatis scriptores, oratores praesertim, annotavi, qui ab Isocrate aliquid imitatione mutuati sunt aut sua — quod rarius accidit — Isocrati praebuerunt imitanda. Platonem autem consulto neglectum fere videbis, quia locorum necessitudo plerumque admodum dubia est. Sub textu illos potissimum locos designavi, qui a scriptore quolibet ex Isocrate ad verbum exscripti sunt oratoris nomine aut apposito aut praetermisso. Atque asterisco (*) insignita sunt testimonia, in quibus Isocratis verba ex testium consilio nonnihil videntur mutata esse. Quibus locis alios nonnullos adieci serioris aetatis scriptoribus imitatione expressos et similis argumenti sententias, quae apud alios aut superiores aut posteriores reperiuntur et cum Isocrateis aliquo modo

videntur coniunctae esse. Sed cave me credas ambitiose contendere, provinciam hanc iam nunc omnino absolutam esse, quandoquidem ne diligentissimus quidem huic officio omnibus numeris potest satisfacere. Nimirum haud raro haesitavi, an locus aliquis iure ad Isocratem referretur an sententia quodammodo consimilis memoranda esset necne.

Virorum doctorum, quot quidem suo iudicio uti viderem, de Isocrate studia diligenter pertractavi et in annotationibus brevissime excerpsi. Atque rem ita gessi, ut quid in Isocrate emendando et ante Bekkerum et post eum effectum sit facile conspiciatur. Nam iniustum esse duxi priores neglegere, qui memoria pessumdata usi multa ex ingenii acumine correxerunt: quorum coniecturas per se non minore respectu dignas esse quam novicii alicuius conamina patet. Ac tamen quantulum in textu graviter corrupto virorum vel doctissimorum sagacitas codicum praesidiis destituta corrigere possit, in Isocrate planum et manifestum est; cuius rei memores sint ii, quorum temeraria in coniectando libido moderatione et modestia indiget. — Apparatum criticum ita digessi, ut quomodo editor quisque de unoquoque loco iudicaverit cernatur. In quo ne appendicem evolvere omittas, in quam praeter coniecturas etiam editionum priorum lectiones codicibus non firmatas conferserim. E virorum doctorum commentationibus autem religiose enotavi, si quas quis de loco aliquo rationes criticas protulit. Quos viros, si lectionem aliquam aperte amplexi sunt, nomine nudo significavi, si rationes professi sunt ambiguas aut contrarias, notulis „cf.“ aut „sed cf.“ nomini additis descripsi. Ipse sententiam meam, quantum quidem commode fieri potuit, paucis defendi aut locis consimilibus laudatis aut oratoris consuetudine sermonis brevissime exposita; omisi tamen omnia, quae verborum explicationi tantum inservirent. Rationes rhythmicas, quas Blassius nuper libidinose in hunc intulit, plane neglexi, quoniam quam fallaces sint me non fugit, qui de numerorum indole ac natura in sententiam Blassio contrariam iam abhinc quinque annos disputaverim (die Anfänge der rhetorischen Kunstprosa, Jahrb. f. class. Philol. Supplem. XXVII 1901 p. 233/50, cf. etiam Fuhr, Berliner philolog. Wochenschrift 1905 col. 1651).

Restat ut et editiones et commentationes criticas, quas in Isocrate recensendo adhibui, diligenter enumerem. Eae tamen dissertationes, quae singulos tantum locos attigerunt, in apparatu vel in appendice occasione data commemoratae aut in capite IV. ad orationes singulas laudatae sunt.

Editiones:

1) **Demetrii Chalcondylae** editio princeps, Mediolani 1493, foll. 200 in 4° mai. cum marginibus latissimis (f. 1, 16, 34 vacua). Subscriptio libri, qui titulo caret, haec est: ἐτελειώθη σὺν θεῷ τὸ παρὸν βιβλίον ἰσοκράτους ἐν με|διολάνῳ διορθωθὲν ὑπὸ δημητρίου τοῦ χαλ|κονδύλου τυπωθὲν δὲ καὶ συνταθὲν ὑπὸ ἐρρί|κου τοῦ γερμανοῦ καὶ σεβαστιανοῦ τοῦ ἐκ | ποντρεμούλου· τὸ δ᾽ ἀνάλωμα | πεποιήκασιν οἱ λαμπρο|τάτου ἡγεμόνος με|διολάνου γραμ|ματεῖς βαρθολομαῖος σκύασος· βικέντιος ἀλίπαντος | βαρθολομαῖος ῥόζωνος ἔτει τῷ ἀπὸ τῆς χριστοῦ | γεννήσεως χιλιοστῷ τετρακοσιοστῷ ἐνενηκοστῷ | τρίτῳ μηνὸς ἰανουαρίου εἰκοστῇ τετάρτῃ.

2) **Aldi** ἐπιστολαὶ διαφόρων φιλοσόφων ῥητόρων σοφιστῶν. Epistolae diversorum philosophorum oratorum rhetorum, voll. II in 4°, Venetiis 1499. — Isocratis epistolae octo — deest epistola ad Archidamum — leguntur in vol. I f. 40/51.

3) **Aldi** orationes Isocratis, Venetiis 1513 in fol. (Isocratis orationes exstant in pagg. 197 prioribus). In titulo haec: Ισοκρατους λογοι. Αλκιδαμαντος, κατα σοφιστων. Γοργιου, Ελενης εγκωμιον. Αριστειδου Παναθηναικος. Του αυτου Ρωμης εγκωμιον. Isocratis orationes. Alcidamantis contra dicendi magistros. Gorgiae de laudibus Helenae. Aristidis de laudibus Athenarum. Eiusdem de laudibus urbis Romae. — Isocratis subscriptio in p. 197 haec: Venetiis apud Aldum, et Andream | socerum mense April. MDXIII. — Totius libri subscriptio p. 167 (immo 267) haec post Aristidem: Venetiis in aedibus Aldi, et Andreae | soceri. IIII nonarum Maii. MDXIII.

4) **Hieronymi Wolfii**, ΙΣΟΚΡΑΤΟΥΣ ΑΠΑΝΤΑ. Isocratis scripta, quae quidem nunc exstant, omnia, Graeco-latina, postremo recognita: annotationibus novis et eruditis illustrata, castigationibusque necessariis expolita. Additi sunt rerum et verborum locupletissimi indices. Basileae, ex officina Oporiniana A. 1570. voll. II in fol. (continet vol. I.: 12 pagg. praefationis + 738 coll. textus + 19 pagg. indicis; vol. II.: 8 pagg. praefationis + 846 coll. commentariorum + 32 pagg. indicis).

5) **Henrici Stephani**, ΙΣΟΚΡΑΤΟΥΣ ΛΟΓΟΙ ΚΑΙ ΕΠΙΣΤΟΛΑΙ. Isocratis orationes et epistolae, cum Latina interpretatione Hier. Wolfij, ab ipso postremum recognita. Henr. Steph. in Isocratem Diatribae VII, quarum una observationes Harpocrationis in eundem examinat. Gorgiae et Aristidis quaedam, eiusdem cum Isocraticis argumenti, Guil. Cantero interprete. Excudebat Henricus Stephanus Anno MDXCIII (in folio: pagg. 8 praefationis + 427 Isocratis + 131 Aristidis et Gorgiae + XXXIV vitarum Isocratis + 8 praefationis Wolfianae et iudiciorum veterum + 31 diatribarum Stephani + 18 indicis).

6) **C. F. Matthaei**, Isocratis, Demetrii Cydone et Michaelis Glycae aliquot epistolae, nec non Dionis Chrysostomi oratio περὶ λόγου ἀσκήσεως, partim ex codice Helmstadiensi partim ex codicibus Mosquensibus edidit et animadversiones adiecit. Typis Universitatis Caesareae Mosquensis 1776.

7) **Athanasii Auger**, Isocratis opera omnia Graece et Latine, cum versione nova, triplici indice, variantibus lectionibus, et notis. voll. III, Parisiis 1782, F. A. Didot l'ainé.

8) Wilhelmi Lange, Isocratis opera quae exstant omnia ad optimorum exemplorum fidem emendavit, varietate lectionis, animadversionibus criticis, summariis et indice instruxit. Halis Saxonum 1803, in libraria Hemmerdeana.

9) Adamantii Corais, Ισοκρατους λογοι και επιστολαι, μετα σχολιων παλαιων. Οἷς προσετέθησαν σημειώσεις καὶ τῶν Αὐτοσχεδίων στοχασμῶν περὶ τῆς Ἑλληνικῆς παιδείας καὶ γλώσσης ἀκολουθία. Φιλοτίμῳ δαπάνῃ τῶν αδελφων Ζωσιμαδων, παιδείας ἕνεκα τῶν τὴν Ἑλλάδα φωνὴν διδασκομένων Ἑλλήνων. voll. II, Parisiis 1807, F. Didot.

10) Andreae Mustoxydis, Ισοκρατους λογος περι της αντιδοσεως. ἤδη πρῶτον εἰς τὴν ἀρχαίαν γραφὴν διασκευασθεὶς καὶ ὀγδοήκοντα περὶ που σελίδας ἐπαυξηθείς· εν Μεδιολανω 1812, εκ της Τυπογραφιας I. I Δεστεφανου.

11) (Angeli Mai), Isocratis oratio de permutatione, cuius pars ingens primum Graece edita ab Andrea Mustoxyde nunc primum Latine exhibetur ab Anonymo Interprete qui et notas et appendices adiunxit. Mediolani 1813, J. Pirota.

12) Joh. Kasp. von Orelli, Ισοκρατους λογος περι της αντιδοσεως vervollständigt herausgegeben von Andreas Mustoxydes, Verbessert, mit Anmerkungen und philologischen Briefen begleitet. Zürich 1814, Orell, Füssli und Compagnie.

13) Immanuelis Bekker, Oratores Attici. tomi IV (tomus IV. in IV partibus), Oxonii e typographeo Clarendoniano 1822/23: Isocrates in vol. II. 1823 exstat, unde expressi sunt

14) Immanuelis Bekker, Oratores Attici. voll. V, Berolini 1823/24, Ge. Reimer: Isocrates in vol. II. 1823. (Indicem codicum videas V. p. 693, Addenda et Corrigenda V. p. 696; cf. Westermann 1832).

15) Guilielmi Dindorf, Isocratis orationes cum praefatione. Lipsiae 1825, B. G. Teubner. (cf. Westermann 1832: editionem cum Bekkeriana ad litteram fere congruentem passim adhibui).

16) Guilielmi Dindorf, Isocratis Panegyricus. Cum Mori suisque annotationibus. Lipsiae 1826, libraria Weidmanniana, G. Reimer. (cf. Westermann 1832).

17) Gulielmi Stephani Dobson, Oratores Attici et quos sic vocant sophistae. tomi XVI, Londini 1828, I. F. Dove. Isocrates in tomo III.: Isocratis quae exstant omnia, indicibus, varietate lectionis, continua interpretatione Latina, scholiis Graecis, annotationibus variorum illustravit. Praefiguntur Adversaria nunc primum publici iuris facta Petri Pauli Dobree. — Interpretatio Latina inest in vol. XIV. (cf. Westermann 1832: lectiones ab editione Bekkeriana discrepantes enotavi omnes).

18) Io. Henr. Bremi, Isocratis orationes commentariis instructae. Pars I. (Panegyricus, Archidamus, de pace, Trapeziticus): in Iacobsii et Rostii Bibliotheca Graeca B XIV. Gothae et Erfordiae 1831, Guil. Hennings.

19) Io. Georgii Baiter, Isocratis Panegyricus. Cum Mori suisque annotationibus edidit Frid. Aug. Guil. Spohn. Editio altera emendatior et auctior. Lipsiae 1831, apud Weidmannos. (cf. Sauppe 1832).

20) Gustavi Eduardi Benseler, Isocratis Areopagiticus. Cum priorum editorum annotationibus edidit suasque notas adiecit. Lipsiae 1832, C. E. Kollmann.

21) Io. Georgii Baiter et Hermanni Sauppe, Oratores Attici. Recensuerunt, adnotaverunt, scholia fragmenta indicem nominum addiderunt. II partes, Turici 1839/50, Impensis S. Hoehrii: Isocrates in parte I. 1839 p. VII et 149/324. (cf. Bäumlein 1842).

22) I. G. Baiter, Isocratis orationes et epistolae, Graece et Latine. (Hieronymi Wolfii translatio reficta et suppleta est ab E. A. I. Ahrens). Parisiis 1846, A. F. Didot.

23) Gustavi Eduardi Benseler, Isocratis orationes recognovit praefatus est indicem nominum addidit. II voll., Lipsiae 1851, B. G. Teubner. (cf. Kayser 1856).

24) Gustavi Eduardi Benseler, Isokrates' Werke. Griechisch und Deutsch. Berichtigt, übersetzt und erklärt. I. Theil: Panegyrikos und Philippos, II. Theil: Plataikos, Archidamos und Rede über den Frieden. Leipzig 1854, W. Engelmann.

25) E. Mehler, Isocrates. Panegyricus en Areopagiticus. Met aanteekeningen van Rauchenstein, Benseler en Schneider en met eigen opmerkingen uitgegeven. Groningen 1861, Erven C. M. van Bolhuis Hoitsema. (Editionis varietatem a Turicensi notavi).

26) Augusti Cartelier et Ernesti Havet, Le discours d' Isocrate sur lui-même, intitulé. Sur l'Antidosis, traduit en français pour la première fois par Auguste Cartelier, revu et publié avec le texte, une introduction et des notes par Ernest Havet. Paris 1862, Imprimerie impériale. (cf. Weil 1863, Sauppe 1866).

27) I. Edwini Sandys, Isocrates. Ad Demonicum et Panegyricus. London, Oxford and Cambridge 1868, Rivingtons.

28) Rudolphi Hercher, Epistolographi Graeci: Isocratis epistolae p. XLIV/XLV et 319/36. Parisiis 1873, A. F. Didot.

29) Friderici Blass, Isocratis orationes. Editionis Benselerianae editio stereotypa altera. II voll., Lipsiae 1878/79, B. G. Teubner. (Ultima impressio 1904; cf. Hug 1878, Jacob 1880: vol. I., Albrecht 1885: vol. II.).

30) Rudolfi Rauchenstein, Ausgewählte Reden des Isokrates, Panegyrikos und Areopagitikos. (ed. I. 1849, II. 1855, III. 1864, IV. 1874). Fünfte Auflage besorgt von Karl Reinhardt. Berlin 1882, Weidmann. (cf. Bäumlein 1849, Kayser: Münchener Gelehrte Anzeigen 1851 p. 185/92, 195/200, Kayser 1855, Jacob 1876, Albrecht 1885).

31) Ottonis Schneider, Isokrates Ausgewählte Reden. Für den Schulgebrauch erklärt. Erstes Bändchen: [An Demonikos], Euagoras, Areopagitikos (ed. I. 1859, II. 1874), Zweites Bändchen: Panegyrikos und Philippos (ed. I. 1860, II. 1875). Dritte Auflage besorgt von Max Schneider. Leipzig 1888/86, B. G. Teubner. (cf. Rauchenstein 1860, Benseler: Jahrbücher f. class. Philologie LXXXII 1860 p. 121/38, Jacob 1876/77, Albrecht 1890).

32) Brunonis Keil, Isokrates' Panegyrikos. Für den Schulgebrauch herausgegeben. Leipzig 1890, G. Freytag. (cf. Slameczka, Zeitschrift f. d. österr. Gymnas. XLI p. 980 sq.).

33) Petri Versmeeten, Isocratis admonitio ad Nicoclem. Dissert., Lugduni Batavorum 1890, E. J. Brill.

Commentationes:

E. Albrecht, Isokrates, Jahresberichte des Philologischen Vereins zu Berlin (Zeitschrift f. d. Gymnasial-Wesen) XI 1885 (XXXIX) p. 49/103, XVI 1890 (XLIV) p. 1/38; cf. Westermann, Sauppe, Rauchenstein, Jacob, Blass, Hüttner.

Joh. Bake, Scholica hypomnemata, Lugduni Batavorum vol. III. 1844 p. 114/19.

W. Bäumlein, Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft 1842 col. 833/44 (censura editionis Turicensis Baiteri et Sauppii) — idem, censura editionis Rauchensteinianae, ibidem 1849 col. 356/63 (= 1842, 1849).

Ant. Baumstark, Lucubrationes Syro-Graecae, Jahrbücher f. class. Philol. Supplem. XXI 1894 p. 438/53.

Gust. Ed. Benseler, de hiatu in oratoribus Atticis et historicis Graecis libri II, Fribergae 1841, J. G. Engelhardt.

Fried. Blass, Jahresbericht über die auf die attischen Redner bezüglichen Schriften, Bursians Jahresberichte I 1873 p. 268/89, III 1874/75 p. 475/93, IX 1877 p. 249/97, XXI 1880 p. 177/210, XXX 1882 p. 221/50; cf. Hüttner — idem, (de papyro Massiliensi) Jahrbücher f. class. Philol. CXXIX 1884 p. 417/29 (= Bl. 1873, 1874/75, 1877 etc.).

Rud. Bock, de codicis Isocratei Urbinatis (Γ) auctoritate, Dissert. Heidelberg. 1883.

J. Fr. Boissonade, Isocratis Oratio adversus Sophistas cum codice collata, Litterarische Analekten von F. A. Wolf II 1820 p. 85/88.

Rob. Theod. Brause, de aliquot locis Isocratis, Progr. Friberg. 1843.

